בשׁש

TRACTATUS
DE
ORIGINE, PROGRESSU, ET ANTIQVITATE
PHILOSOPHIÆ BARBARICÆ,

hoc est,

CHALDAICÆ, PERSICÆ,
ÆGYPTIACÆ, INDICÆ,
GALLICÆ;

deque ipsorum Philosophorum Barbarorum dogmatibus & moribus,

AUTORE

CHRISTIANO KORTHOLT, Holsato,
Collegii Philosophici in Academia Jenensi Adjuncto.

JENÆ
apud JOHANNEM NISIUM, Typograph.
ANNO cIↄ Iↄ cLX.

VIRO
PLURIMUM REVERENDO ET
CLARISSIMO

DN. M. MATTHIÆ LOBETANTZ,

Pastori Burgensi, & Ecclesiarum, quæ in FEMARIA, Holsatiæ insula, Christo colliguntur, Præposito,

Fautori & amico suo sincera perpetuaque fide amando, colendo,

S. P. D.

CHRISTIANUS Kortholt.

QUanta olim fuerit Barbaricæ, quam vocant, Philosophiæ dignitas, Vir plurimum Reverende, inter alia ex eo colligere licet, quod ipse codex sacer, Salomonem Regem a sapientia commendaturus, illum cum Ægyptiis contendit, doctrinæ nimirum laude clarissimis, 1. Reg. IV, 30. quodq; Mosen, illum DEI virum,

hoc nomine deprædicat, quod, a Pharaonis filia adoptatus & educatus, ejusdem jussu in omni Ægyptiorum sapientia institutus fuerit, Act. VII, 22. Equidem Autor Responsionum ad orthodoxos, qui vulgo, sed perperam, Justinus Martyr creditur, Quæstione XXV. asserere non dubitat, Mosen, utut literarum hieroglyphicarum notitiam in Ægypto sibi comparaverit, disciplinas tamen Mathematicas, Geometriam, Astronomiam, & Astrologiam, quibus sedulo invigilarunt Ægyptii, haud attigisse, quod illæ scientiæ vulgares ibi habitæ fuerint & abjectæ. Verumenimvero frustra est scriptor ille, quisquis sit, quando, Ægyptios Mathematicas scientias inter vulgaria numerasse, sibi persvasum habet; quas aliunde constat tanti eos fecisse, ut solis pene Regibus & Sacerdotibus illas addiscere permiserint. Sed fac, Astronomiam & Geometriam apud istos populos vilioris fuisse commatis, num ex eo verosimile fiet, neglectas fuisse a Mose? quem in *omni Ægyptiorum sapientia* eruditum S. ait Stephanus; cujus utique portio fuerunt istæ, quas diximus, scientiæ, præclaræ profecto & liberali animo quam maxime dignæ. Quin potius itaque subscribimus Philoni Judæo, qui lib. I. de vita Mosis: *Numeros*, ait, *& Geometriam, universamque Musicam,*

cam, Rhythmicam, Harmonicam, Metricam, sive contemplativam, sive per instrumenta vocesque promentem se modis variis, accepit Moses *ab Ægyptiis doctoribus.* Et paucis interjectis dicit, Mosen *sideralem* quoque *scientiam* ab Ægyptiis didicisse. Idem, iisdem pene verbis, asserit Clemens Alexandrinus lib. I. strom. cap. XIII. ubi etiam ad Philonem provocat. Clementi suffragatur discipulus Origenes, qui, cum difficultates quasdam, circa structuram arcæ Noachicæ in historia Mosaica descriptam ab Apelle hæretico motas, recitasset Homil. II. in Genesin: *Ad hæc,* inquit, *nos, quæ a prudentibus viris, & Hebraicarum traditionum gnaris, atque a veteribus magistris didicimus, ad auditorum notitiam deferemus. Ajebant ergo majores, quod Moyses, qui (ut de eo Scriptura testatur) omni sapientia Ægyptiorum fuerat eruditus, secundum artem Geometricam, quam præcipue Ægyptii callent, cubitorum numerum in hoc loco posuit.* Augustinus, ubi lib. XIIX. de Civitate Dei cap. XXXVII. ad hunc modum erat locutus: *In Ægypto jam fuerat ante Moysen nonnulla doctrina, quæ illorum sapientia diceretur, alioquin non scriptum esset in libris sanctis, Moysen eruditum fuisse omni sapientia Ægyptiorum*; mox cap. XXXIX. quænam fuerit illa sapientia, qua Moses eruditus dicitur, ita declarat: *Ipsa eorum* (Ægyptiorum) *memorabilis*

doctrina, quæ appellata est ſapientia, quid erat, niſi maxime Aſtronomia, & ſi quid aliud talium diſciplinarum magis ad exercenda ingenia, quam ad illuminandas vera ſapientia mentes valere ſolet?

Non ſolus autem Moſes inter Barbaros eruditus fuit, ſed ipſi etiam Græci, ob ſapientiam toto orbe celebratiſſimi, Philoſophiam ſuam magnam partem ab illis gentibus hauſerunt. Sic Thales Mileſius, Ionicæ ſectæ autor, idemque ex ſeptem illis Græciæ Sapientibus unus, Ægyptiorum diſcipulus fuit, uti teſtatur Diogenes Laërtius lib. I. Clemens Alexandrinus lib. I. Strom. cap. VI. Theodoretus lib. I. de curatione Græcarum affectionum. Ejusdem ſvaſu Pythagoras etiam, qui Italicam condidit ſectam, in Ægyptum, ad Sacerdotes Memphiticos & Diospolitanos ſe contulit, ut autor eſt in ipſius vita Jamblichus, quo cum confer Diodorum Siculum lib. I. Bibliothecæ Hiſtoricæ part. II. Iſocratem in Buſiride, Plutarchum libro de Iſide & Oſiride, Apulejum in Floridis, Plinium lib. XXXIV. cap. XVII. lib. XXV. cap. II. lib. XXX. cap. I. Clementem Alexandrinum (qui & Præceptorem ejus Ægyptiacum nominat) ac Theodoretum laudatis locis, Euſebium lib. X. Præpar. Evang. cap. II. Juſtinum Martyrem in priori ad Græcos paræneſi, Hieronymum

nymum

nymumEpistola CIII. ad Paulinum. Idem a Chaldæis sideralem scientiam accepit, ut in vita ipsius testatur Porphyrius; cui adde Laërtium lib. IIX. & Josephum lib. I. contra Apionem. Cum Magis insuper versatus est; imo creditur quoq; audiisse Gallos & Brachmanas, uti constat ex Clementis Alexandrini, Eusebii, & Apuleji locis supra memoratis. Democritus Chaldæos, AEgyptios, Magos, Indos, AEthiopes, Arabas, doctrinæ avidus accessit, ut scribunt Strabo lib. XV. AElianus lib. IV. Variarum Historiarum cap. XX. Laërtius lib. IX. ejusq; exscriptor Hesychius Illustrius: Suidas item, & Diodorus Siculus, Plinius, Clemens Alexandrinus, Eusebius, ubi supra. Plato cum AEgyptiorum Sacerdotibus XIII. annos versatus fuit, ut est apud Strabonem lib. XVII. cui junge Plinium lib. XXX. cap. I. Apulejum sub initium lib. I. de habitudine doctrinarum Platonis, nec nō Diodorum, Plutarchum, Justinum, Clementem, Eusebium, Theodoretum, Hieronymum, locis nuper citatis. Alios, qui eadem fini Barbaras petiere terras, in præsenti recensere nihil attinet, cum vel sola illa, quæ produximus, exempla, quanti Barbaricam sapientiam ipsi etiam Græci fecerint, abunde ostendant.

Hac itaque de causa operæ me pretium factu-

rum

rum existimavi, si, quæ de sæpius memoratæ Philosophiæ Barbaricæ origine, progressu, & antiquitate, nec non de illorum, qui eandem excoluerunt, dogmatibus & moribus, apud antiquos autores hinc inde leguntur, in certum ordinem redigerem, eaque sic harum rerum avidis aliquot Disputationibus publicis proponerem. Unde præsens nata est Diatribe.

Eam vero Tibi, Vir venerande, inscribere & offerre volui, tanquam fautori ac amico singulari, quemque in his rebus versatissimum esse, iisque non parum delectari novi. Accipe proinde illam, ceu infucati amoris obsidem, hilari fronte, atque id juxta mecum age, ut amicitia nostra

non unquam pereat, sed tantum crescat in horas,
quantum vere novo graminis herba solet.

DEUS Tibi Tuisque benedicat! Scribo in Academia Salana, v. Kalend. Julii, cIↄ Iↄc IX.

Nomina
RESPONDENTIUM.
JACOBUS TEUBERUS,
Langenbachio-Variscus,
defendit partem priorem usque ad Num. XVI.
JOACHIMUS Müller/
Viza-Meklenburgicus,
defendit partem reliquam.

בשש

DE
ORIGINE ET PROGRESSU PHILOSOPHIÆ, VARIISQUE PHILOSOPHORUM SECTIS.

I.

Diogenes Laërtius in proœmio quod libris de vitis, dogmatibus & apophthegmatibus clarorum Philosophorum a se conscriptis præmisit: *Philosophia*, inquit, *non a Barbaris, sed a Græcis initium habuit*. Idem paulo ante, cum dixisset, esse qui Philosophiam a Barbaris initia sumpsisse autument: *hi profecto*, subjungit, *per imprudentiam Græcorum recte facta inventaque Barbaris applicant: ab iis enim non solum Philosophia, verum ipsum quoque hominum genus initio manavit*. Ita Laërtius, qui, ut huic asserto suo fidem conciliet, omnem movet lapidem. Ei assentitur Epicurus, de quo Clemens Alexandrinus lib. I. Stromatum c. VI. refert, quod *existimet, solos Græcos posse philosophari*. Contra Tatianus, Assyrius, ex Philosopho gentili Christianus, sub initium orationis suæ ad Græcos: *Non decet vos*, ait, *o Græci, odio tanto prosequi Barbaros, & ipsorum placitis invidere. Quod enim apud vos studium, nonne a Barbaris traxit originem?* & multis interjectis: *illud ago*, inquit, *ut Philosophiam nostram multo Græcorum studiis antiquiorem ostendam*. Sic Tatianus, qui, quod pollicetur, operose præstat, Chaldæis, Phœnicibus, Æpyptiis, imo ipsis Græcis in testes adhibitis, dicto ad Græcos sermone, quem *florentissimum librum* appellat Hieronymus lib. de Scriptor. Eccles. c. XXIX. Clemens quoque A-

 lexan-

lexandrinus lib. I. Strom. c. VII. *Philosophia*, scribit, *res varie utilis, olim quidem viguit apud Barbaros, per gentes sparsim resplendens, postremo denique ad Græcos etiam venit.* Hæc Clemens, *vir*, judice Casaubono Exerc. I. n. I. *inexhaustæ doctrinæ*; qui præ cæteris industriam suam in hoc argumento probavit; quemadmodum & Eusebius in libro X. de præparatione Evangelica, ac Theodoretus in libro I. de curatione Græcarum affectionum. Confer etiam Theophili Antiocheni libros ad Autolycum, præsertim ultimum; & Josephi libros contra Apionem Alexandrinum.

II. Interim heic notabis, priscos Patres, quando antiquitatem Philosophiæ Barbaricæ adstructum eunt, utplurimum vocabulo *Philosophiæ* in laxo admodum significatu uti, ut scilicet non tantum universa eruditio, quæ absque speciali gratia divina solius naturæ ductu acquiri potest, sed & notitia dogmatum ex peculiari Dei revelatione haustorum eo indigitetur. Id inde manifestum est, quod Tatianus, postea quam promiserat, se ostensurum, Philosophiam Barbaricam Græca antiquiorem esse, mox comparationem inter Mosis (quem *πάσης βαρβάρου σοφίας ἀρχηγὸν*, *universæ sapientiæ Barbaricæ autorem* sive *ducem* vocat) ac Homeri ætatem instituit: *eos si invicem conferamus*, inquiens, *nostra non modo Græcorum disciplinis, sed etiam literarum inventione antiquiora deprehendemus*. Ubi *Philosophiam* & *sapientiam Barbaricam* adeo late accipi, ut ipsam de vera religione doctrinam, quam primus in literas retulit Moses, sub se comprehendant, quis dubitaret? inprimis si discipulo jungamus præceptorem, Justinum, inquam, Martyrem, qui eandem cum Tatiano causam agens in sermone parænetico ad Græcos, Mosen appellat *τὸν πρῶτον τῆς θεοσεβείας διδάσκαλον ἡμῶν*, *primum religionis nostræ doctorem*. Verba sancti Patris, quibus Græcos alloquitur, ita habent: *non ex divinis tantum historiis nostris* scriptorum Mosaicorum antiquitatem *probare aggredior, quibus vos nondum, propter inveteratum in animis vestris majorum vestrorum errorem, fidem adhibere vultis: sed ex vestrarum etiam, nihil ad religionem nostram pertinentium,*

tium, literarum monumentis; ut intelligatis, omnibus vestris sive Sapientibus, sive Poëtis, sive Historicis, sive Philosophis & legislatoribus, multo antiquiorem fuisse primum religionis nostræ doctorem Mosen, sicuti nobis Græcæ declarant historiæ. Ecce, quod Tatiano erat βάρβαρος σοφία, id Justino est θεοσέβεια. Quin ipse Tatianus, quando Christianum se profiteri vult, τὸν κατὰ βαρβάρους φιλοσοφοῦντα, *Barbaricæ Philosophiæ sectatorem* se appellat. Ita enim librum suum claudit: *Hæc vobis, o Græci, Tatianus ego, Barbaricæ Philosophiæ sectator, composui, natus apud Assyrios, & vestris primum studiis imbutus, deinde vero illis, quæ nunc fovere me profiteor.* Idem jam supra hunc in modum locutus fuerat: *Valedixi Romanorum jactantiæ, Atheniensium frigido sermoni, dogmatibus non congruentibus, & Barbaricam nostram Philosophiam complexus sum.* Adde Clementem Alexandrinum, qui, postquam lib. I. Strom. c. VII. dixerat, antiquissimam Philosophiam fuisse tempore Mosis; quid per isthanc Philosophiam intellectum velit, luculenter exponit circa finem prope ejusdem libri, quando ait: *Mosaica Philosophia quadripartito dividitur: in partem historicam, & in eam, quæ proprie vocatur nomothetica; quæ quidem Ethicæ tractationis propria est: tertiam vero eam, quæ pertinet ad sacrificia, estque Physicæ contemplationis: quartam denique Theologicam.* At vero quæ de his rebus tradidit Moses, divinitus ipsi revelata & inspirata fuerant.

III. Sed de his satis. Id certum est, sapientiæ studia primum a Barbaris fuisse exculta, & ab his ad Græcos postmodum manasse. Neque hoc diffitentur qui inter Græcos cordatiores sunt. Ipse Diogenes Laërtius, qui alias in eo totus est ut contrarium evincat, Aristotelis & Sotionis autoritatem pro nobis adducit. Sic enim suos de vitis Philosophorum libros orditur: *Philosophiam a Barbaris initia sumpsisse nonnulli autumant. Nam apud Persas Magos, apud Babylonios vel Assyrios Chaldæos, apud Indos Gymnosophistas, apud Celtas & Gallos Druidas ac Semnotheos ejus fuisse autores, ait Aristoteles in Magico, & Sotion in vigesimo tertio libro τῆς διαδοχῆς i. successionis.* Ex nostris varias nationes Barbaricas, apud quas sapientia initio

floruit, recenset Clemens Alexandrinus lib. I. Strom. c. VII; quando de Philosophia loquens: *ei præfuerunt*, inquit, *Ægyptiorum Prophetæ, & Assyriorum Chaldæi, & Gallorum Druidæ, & Semanæi Bactrorum ac Celtarum Philosophi, & Persarum Magi, & Indorum Gymnosophistæ, & alii Philosophi Barbari.* Ad eundem modum Augustinus lib. IIX. de Civit. Dei c. IX. postquam de Ionicis & Italicis Philosophis dixerat, *aliarum quoque gentium Sapientes vel Philosophos* enumerat, *Atlanticos* nempe, *Lybicos, Ægyptios, Indos, Persas, Chaldæos, Scythas, Gallos, Hispanos.* Atque hinc est, quod Clemens, ubi supra, Philosophiam Barbaricam vocat κατὰ τὰ ἔθνη διαλάμψασαν, *per gentes* sive *nationatim resplendentem.* Ab his itaque gentibus Philosophiam suam magnam partem hauserunt Græci. Quam in rem ita Theodoretus, Cyrensis Episcopus, lib. I. de curatione Græcarum affectionū: *Illustrissimos Græcorum Philosophorū, quorū memoria hodieq; apud eloquentes doctosq; homines celeberrima est, Pherecyden, inquam, Syrum, Samiumq; Pythagoram, Thaletem Milesium, ac Solonem Atheniensem, Platonem denique ipsum, filium quidem Aristonis, Socratis vero auditorem, illum, inquam, Platonem, qui cæteros omnes Philosophos obruit eloquentiæ copia, nequaquam piguit inveniendæ veritatis causa Ægyptum Thebasque Ægyptias perlustrare, Italiam præterea & Siciliam, non uno quidem imperio ac dominatu gentes illas & provincias gubernante, sed singulas civitates singulis moderantibus vivendi modis ac legibus: aliæ siquidem illarum populo habenas rerum tradiderant, aliæ paucorum potestate gaudebant, aliæ sub tyrannis erant, aliæ legibus regebantur. Neque tamen priscis illis Philosophis hæc regendi varietas quicquam impedimenti attulit, quo minus Barbaras advectæ nationes, ab iis ea perciperent, quæ melius ab ejusmodi gentibus quam a seipsis teneri arbitrabantur.* Ita Theodoretus, qui mox ad Plutarchum, Porphyrium, & Pythagoræum Numenium heic provocat. Idem, nonnullis interjectis, multos, eosque in Græcorum Philosophia celeberrimos viros enumerat, qui inter Barbaros nati sint & educati; ac deinde concludit: *Si ergo extra fines Græciæ natos fuisse hos Philosophos enutritosque; nihiloque secius lin-*

lingvam Graecanicam coluisse, primum quidem, apud alias quoque gentes fuisse viros sapientes, diceris. Eadem urgent Justinus Martyr, Tatianus, & inprimis Clemens Alexandrinus ac Eusebius locis nuper citatis. Sed hæc omnia ex subsequentibus clariora fient, præsertim quando de Philosophiæ Græcæ progressu & cultoribus agetur. Quo antequam delabamur, de Philosophia Barbarica, sive illa, quæ extra Italiam & Græciam exculta fuit, paululum disserere libet.

IV. Quod itaque ad CHALDÆOS attinet, eos *per omnem vitam philosophari*, & in siderali scientia præ cæteris mortalibus excellere, scribit Diodorus Siculus, Bibliothecæ historicæ lib. II. juxta editionem græcam (nam in versione, aut verius, perversione Poggii perperam est III.) quod posterius confirmat Cicero lib. I. de Divinatione, secundum Lambini editionem n. XCI. quando ait: *In Syria*, sive Assyria, *Chaldæi cognitione astrorum solertiaque ingeniorum antecellunt.* Idem n. XCIII. *Babylonii*, inquit, *in camporum patentium æquoribus habitantes, cum ex terra nihil emineret quod contemplationi cœli officere posset, omnem curam in siderum cognitione posuerunt.* Et sub ipsum libri initium, n. II. *Assyrii propter planitiem magnitudinemque regionum, quas incolebant, cum cœlum ex omni parte patens atque apertum intuerentur; trajectiones motusque stellarum observaverunt: quibus notatis, quid cuique significaretur; memoriæ prodiderunt. Qua in natione Chaldæi, non ex artis, sed ex gentis vocabulo nominati, diuturna observatione siderum scientiam putantur effecisse, ut prædici posset, quid cuique eventurum, & quo quisque fato natus esset.* Ubi notetur, quod Tullius distingvit inter Chaldæos qui ex *artis*, & qui ex *gentis* vocabulo nominantur. Significat nempe hoc ipso non obscure, *Chaldæorum* nomen dupliciter sumi; semel, ut gentem notet, eam scilicet, quæ Chaldæam, Babyloniæ regionem, Arabiæ conterminam (quam *Philosophiæ veteris altricem* vocat Ammianus Marcellinus lib. XXIII.) incolit: deinde, ut in genere omnes illos designet, qui (ut idem Cicero lib. II. de Divin. n. XCIIX. loquitur) *Chaldaicis rationibus eruditi*, futura audent prædicere. Et sane ita

ſe rem habere, ex plurimis veterum ſcriptorum locis liquet. Sic Strabo lib. xv. Geographiæ: *Conſtituta eſt*, ait, *habitatio peculiaris in Babylonia Philoſophis indigenis, plurimum Aſtronomiam tractantibus, qui Chaldæi appellantur. Sunt ex iis, qui e natalibus hominum eventura iis vaticinari ſe profitentur. — Eſt & Chaldæorum natio, & Babyloniæ regio ab iis habitata, Arabibus & mari, quod Perſicum appellatur, proxima.* Ecce, eadem ratione qua Cicero, diſtingvit inter nomen artis & gentis. Refer huc, quod idem Strabo lib. xvi. ſcribit, Chaldæos id fuiſſe apud Aſſyrios, quod apud Indos Gymnoſophiſtæ, apud Perſas Magi: ubi citra controverſiam *Chaldæi* certum genus Sapientum deſignant, non nationem. Hinc Agellius lib. 1. Noctium Atticarum c. ix. *vulgus*, inquit, *quos gentilitio vocabulo Chaldæos dicere oportet, Mathematicos dicit.* Idem Favorini contra Aſtrologos diſputationem recitaturus: *adverſum iſtos*, infit, *qui ſeſe Chaldæos ſeu Genethliacos appellant, ac de motu deque poſitu ſtellarum dicere poſſe quæ futura ſunt, profitentur; audivimus quondam Favorinum Philoſophum Romæ græce diſſerentem egregia atque illuſtri oratione*; lib. xiv. cap. 1. ubi etiam Aſtrologos frequenter *Chaldæos* appellat, & Aſtrologiam *diſciplinam Chaldæorum*; quemadmodum Cornelius Tacitus lib. vi. Annalium eam vocat *Chaldæorum artem*. Uſurpat quoque ita *Chaldæorum* vocabulũ Curtius, quando lib. v. narrat, quod Alexandro Babylonem ingreſſo *Chaldæi ſiderum motus & ſtatas temporum vices oſtenderint.* Simili modo loquuntur Diod. Siculus lib. ii. Cicero in libris de Divinatione, & lib. 1. Tuſc. quæſtionum, Svetonius in Vitellio c. xiv. & Domitiano c. xiv. Apulejus Metamorphoſeon ſive Luſuum Aſini, vulgo Aſini aurei, lib. 11. Tertullianus libro de Idololatria c. ix. Imp. Conſtantinus l. v. C. de Maleficis & Mathematicis: in quam l. ita commentatur Dionyſius Gothofredus: *Ut Arabs pro latrone, Chananeus pro mercatore: ſic Chaldæus pro Aſtrologo, quia gens illa valde dedita fuit Aſtrologiæ.* Inde etiam Juvenalis Satyra x. verſ. xci. Aſtrologos vocat *gregem Chaldæum*, quando, de vanis mortalium votis agens, inter alia: *viſne*, quærit,

——— ——— *rutor haberi*
Principis Augusta caprearum in rupe sedentis
cum grege Chaldæo?

De Tiberio loquitur, qui Thrasyllum, celeberrimum ejus temporis Mathematicum, comitem habuit, eique multum attendit. Confer Satyram VI. verf. DLXXV. & adde Dionem Cassium Hist. Romanæ lib. LV. & LIIX. Svetonium in Augusto c. XCIIX. Tiberio c. XIV. & LXII. Tacitum Annal. lib. VI. Locum, ex quo siderum motus observari solent, *Chaldæum verticem* vocat Prudentius in Apotheosi, carmine adversus Homuncionitas, verf. LXVI. dum ait:

Dirigust trepidans Chaldæo in vertice pernox
Astrologus.

Refer huc Claudianum, cui Astrologi & *Chaldæi* audiunt, & *Babylonii*. Ita enim canit in Panegyri de IV. Consulatu Honorii, verf. CXLV.

——— ——— *te sensit Etruscus*
Augur, & inspectis Babylonius horruit astris:
Chaldæi stupuere senes.

Idem Astrologorum curiositatem, sive curiosam eorum artem *Babyloniam curam* vocat, (sicut Lucanus lib VI. *Assyriam curam*) quando in Paneg. de ejusdem Honorii Conf. VI. verf. XIIX. scribit:

——— ——— *stellas Babylonia cura salubres*
optima tunc spondet mortalibus edere fata,
Cœlicolæ cum celsa tenent, summoque feruntur
cardine, nec radios humili statione recondunt.

Simili modo Horatius Astrologorum rationes seu supputationes *Babylonios numeros* appellat, quando Leuconoën, ut omissa futurorum cura voluptati indulgeat, ita hortatur lib. I. Carminum, Ode XI.

Tu ne quæsieris (scire nefas) quem mihi, quem tibi
finem Dii dederint, Leuconoë: nec Babylonios
tentaris numeros.

Juvenalis Satyra VI. verf. DLXXV. vocat *numeros Thrasylli*, a Thrasyllo, nobili illo Mathematico, de quo paulo ante.

V. Ex

V. Ex his conjicere licet, primos in siderali scientia claruisse Assyrios ac Babylonios. Quod etiam haud obscure Cicero innuit, quando sub initium lib. i. de Divinatione scribit, Assyrios *principio* trajectiones motusque stellarum observasse, & *ultimos* esse, id est, primos, qui, quid cuique significaretur, memoriæ prodiderint. Atque hinc a plerisque pro inventoribus Astronomiæ ac Astrologiæ habentur. *Chaldæi*, scribit Apulejus in Floridis, juxta vulgarem distributionem lib. ii. *sideralem scientiam, luminum vagantium status ambitus, utrorumque varios effectus in genituris hominum ostendere.* Adde Tatianum Assyrium sub initium libri ad Græcos, Clementem Alexandrinum lib. i. Strom. c. vii. Eusebium lib. x. Præpar. Evang. c. ii. Theodoretum lib. i. de curatione Græcarum affect. non longe ab initio, Plinium lib. vi. Histor. Natur. c. xxvi. Et Servio quidem primus Astrologiam Assyrios docuisse creditur Prometheus. Qua de re in vi. Virgilii Eclogam ita scribit: *Prometheus Assyriis primus Astrologiam indicavit, quam, residens in monte altissimo Caucaso, nimia cura & solicitudine deprehenderat. Hic autem mons positus circa Assyrios, vicinus est pene sideribus: unde etiam majora astra demonstrat, & diligenter eorum ortus occasusque significat.* Videtur secutus esse Æschylum, qui in Prometheo gloriantem hunc ipsum inducit, nec æstatis, nec hiemis vel veris signum fuisse cognitum, donec ipse hoc ostenderet ex ortu siderum vel occasu. Alexander tamen Polyhistor apud Eusebium lib. ix. de Præpar. Evang c. iv. ex Eupolemo tradit, Abrahamum Astrologiam invenisse, eamque Sacerdotes Heliopolitanos docuisse; quanquam ipse, primum se hujus scientiæ autorem non esse, sed ab Enoch per successionem traditam sibi eam fuisse, fassus sit. Certe Abrahamum, qui natione Chaldæus erat, Astrologiæ gnarum fuisse, testis est Berosus, & ipse Chaldæus, ac, uti ex Plinio lib. vii. c. xxxvii. constat, Astrologus excellentissimus; cujus verba sunt: *Decima post diluvium generatione apud Judæos erat quidam justitiæ cultor, vir magnus & sideralis scientiæ peritus.* Ubi Abrahamum signari dicunt, qui illa Berosi citant, Josephus lib. i.

lib. 1. Antiq. Judaic. c. iix. & Eusebius lib. ix. Præpar. Evangel. c. iv. Quod vero ad Enochum attinet, is etiam scriptis Astrologiam prodidisse creditur. Et meminit eorum Origenes Homilia xxviii. in Numeros, sed ita, ut apud Hebræos exiguæ autoritatis esse addat; cujus rei causam Augustinus lib. xiix. de Civit. Dei c. xxxiix. dicit esse *nimiam antiquitatem propter quam videbantur habenda esse suspecta, ne proferrentur falsa pro veris*. Interim Tertullianus non tantum aliquoties illa citat, ut libro de Idololatria c. iv. & xv. de cultu feminarum c. x. sed & libro de habitu muliebri c. iii. variis argumentis eorum autoritatem conatur adstruere, quæ tamen omnia quam sint infirma, dudum ostenderunt eruditi. Confer præterea, quæ de Enocho leguntur apud Eusebium, lib. vii. Hist. Eccl. c. xxxii. & quæ de eodem ex Beidavi, Arabe, citat Jo. Henr. Hottingerus, lib. 1. Histor. Orient. c. iii. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ. Forte improbabile non erit, si dicamus, Abrahamum observationes quasdam hausisse a patre suo Thare, utpote quem in Astronomicis versatum fuisse testatur Philo in libro de Nobilitate. Imo si Flavio Josepho, alias Scriptori gravissimo, fides habenda esset, (quam tamen multi heic solicitant) nec in Abrahamo, nec in Thare sistendum foret, sed ascendendum ad Sethi usque posteros antediluvianos, de quibus modo laudatus Historicus tradit, quod *sideralem scientiam ac cœlestium rerum cognitionem excogitaverint: ne autem inventa sua ex hominum notitia dilaberentur, & prius perirent quam pernoscerentur, scientes Adamum universalem rerum interitum præcecinisse, unum incendio, diluvio alterum, excitatis duabus columnis utrique sua inventa inscripserint, ut, si lateritiam diluvio deleri contingeret, lapidea superstes hominibus discendi copiam faceret, & quæ inscripta continebat, spectanda exhiberet.* Hæc Josephus lib. 1. Antiq. Jud. c. iii. qui ibidem addit, lapideam columnam suo adhuc tempore in Syria extitisse.

VI. Dum columnarum a Sethigenis erectarum mentionem injicimus, recordamur eorum, quæ narrat Plinius lib. vii. c. lvi. nempe apud Babylonios, teste Epigene, gravi auto-

re, dccxx. juxta Berosum autem & Critodemum ccccLxxx. annorum observationes siderum coctilibus laterculis fuisse inscriptas. Illos Berosi annos, quos sideralibus Chaldæorum observationibus adscribit, si numeres ab initio æræ Nabonassareæ, id est, ab anno II. Olympiadis IIX. & anno mundi MMMCCIII. attingunt extrema tempora Antiochi Σωτῆρος, cui Chaldaicam historiam Berosus inscripserat, ut affirmat Tatianus Assyrius, in libro ad Græcos, quando ait: *Berosus, vir Babylonius, Beli apud ipsos* (Babylonios) *Sacerdos, qui vixit tempore Alexandri, Antiocho, tertio ab illo, Chaldæorum historiam tribus libris perscripsit.* Et sane *omnes Chaldaicæ observationes siderum, quæ ad Græcos pervenerunt, æra Nabonassarea terminantur. Nemo autem dixerit, in Græcorum notitiam pleraque non venisse. Qui enim victi fuerint ausi victores horum aliquid celare, sciendi avidos? cupidissimos autem sciendi victoresque fuisse Græcos, utique certum est. Non tantum vero non Ptolemæum, sed nec Hipparchum ullam cognovisse observationem sideralem Chaldaicam, quæ Nabonassari excedat æram, liquidum profecto est ex utrisque, cumprimis autem Ptolomæi codicibus;* inquit Hermannus Contingius, Academiæ Juliæ decus, in Adversariis Chronol. de Asiæ & Ægypti antiquissimis dynastiis, c. IX. Quæ cum ita sint, nemo non videt, quid habendum de numero, qui est apud Ciceronem lib. I. de Divin. n. XXXVI. ubi Babylonios dicere ait, se annorum ccccLxx. millium observationes habuisse scriptis signatas; quemadmodum lib. II. n. XCVII. de iisdem ex aliis refert, quod totidem annos in periclitandis experiundisque pueris, quicunque essent nati, posuerint (nonnulli quidem codices Ciceroniani longe minorem numerum habent, sed illum, quem nos apposuimus, etiam Lactantius lib. VII. Divin. Institut. c. XIV. ex Cicerone inseruit) quid item de illo, qui est apud Diodorum Siculum lib. II. Bibliothecæ, ubi annotat, Babylonios jactare, observationem, quam fecerant, siderum ad hominum fata prænoscenda, tam antiquam esse, ut ad ccccLxxIII. annorum millia numerarent, ex quo siderali scientiæ observationibus inde continuis operam dare

ce-

cœpissent, usque ad Alexandri in Asiam expeditionem. Stupendus profecto temporis tractus, quique ipsi Diodoro adeo suspectus fuit, ut scribere non dubitaret, *numerum annorum, quibus mundi considerationi se vacasse Collegium Chaldæorum asseverat*, οὐκ ἄν τις ῥᾳδίως πιστεύσειεν, *haud facile quis crediderit*: Ciceroni vero tantum abest ut ad palatum fuerit, ut potius diserte dicat, *fallere*, quotquot ista de Babyloniis memoriæ prodiderunt. Favorinus quoque Philosophus apud Agellium lib. XIV. c. I. disputat, *disciplinam istam Chaldæorum tantæ vetustatis non esse, quantæ videri volunt.*

VII. Quo magis mirandum, quod nuperus ille Præ-Adamitarum plastes, Isaacus Peyrerius, lib. III. Systematis sui Theologici c. X. scribere ausus est: *nulla me amplius tenet admiratio tot millium annorum, quæ posuisse Chaldæos tradidit Cicero in periclitandis experiundisque pueris.* Ecce, quod creditu difficile, imo aperte falsum, pronunciant homines pagani, id sine hæsitatione credit, qui Ecclesiæ filius audire vult. Quibus vero rationum momentis inductus? totus in eo est ut evincat, fieri non potuisse, ut Chaldæi Astronomiæ, Astrologiæ, ac Magiæ exactam, qualem habuerint Abrahami tempore, peritiam assequerentur per illud tempus, quod ab Adamo formato ad natum Abrahamum intercipitur. *Certe*, inquit sub finem libri III. *si res hæc bona mente & bona fide peragitur, nemo erit qui non censeat tempus illud angustissimum vel ad minimarum & trivialium artium deprehendenda experimenta; ne dicam scientiarum altissimarum, qualia fuere Astronomiæ, Astrologiæ & Magiæ, curiosa observata, expendenda & demonstranda.* Hoc ut ostendat, de progressu, amplitudine ac difficultate studii Astronomici & Astrologici, per omnes ferme partes illarum disciplinarum vagando, prolixe declamat, credo ut fidem faciat, se sideralis doctrinæ rudem non esse. Verumenimvero principio autor hic supponit ut certum, Chaldæos Astronomiæ & Astrologiæ *exactam* omnibusque numeris *absolutam* peritiam habuisse tempore Abrahami; quam certe hypothesin non facile ei concedes, si cogitaveris, Diodorum Siculum,

 qui

qui lib. II. Bibliothecæ scribit, ὅτι χαλδαῖοι μεγίστην ἕξιν ἐν ἀστρολογίᾳ τῶν ἁπάντων ἀνθρώπων ἔχουσι, *quod Chaldæi Astrologiæ habitu præ cunctis hominibus accurate sint instructi*, eopse loco de iisdem fateri, quod *de eclipsibus Solaribus infirmissimas demonstrationes afferant, quas nec prædicere, nec ad certum redigere tempus audeant: de terra quoque peculiares omnino sententias proferant, dum scaphæ similem cavamque esse affirment.* Refer huc quæ habet Claudius Salmasius in præfatione ad Diatribas de annis climactericis, ubi: *Illud certe perquam mirabile est*, ait, *spatio quadringentorum & septuaginta millium annorum non potuisse Chaldæos comprehendere ex perpetua siderum contemplatione, utrum luna suo lumine luceret, an alieno. — Nam Berosus sub prioribus Seleucidis ex Chaldæorum regione profectus disciplinam in Asia patefecit, ubi professus est lunam palam esse ex dimidia parte candentem, dimidiam cærulei esse coloris: cum subit autem orbem solis, tunc radiis ejus & calore attrahi & converti partem candentem propter cognationem luminis cum lumine.* Et si adeo exquisite sideralem scientiam calluerunt Chaldæi, *cur sequentium temporum Astrologi non per omnia sectati sunt Chaldæorum disciplinam? cur Græci in tantum ab his postea diversi abiere? cur Ptolemæus aliam etiam a veteribus Græcis semitam sibi fecuit? cur denique hodierni Astrologi aliam fecerunt hanc artem, ut cum antiqua eandem esse non cognoscas?* iterum laudato loco inquit Salmasius. Scilicet, *cum magnarum rerum tardi sint progressus, & ad earum scrutationem una ætas non sufficiat, earum quædam primo rudimenta sunt, neque cum perfectione sua ad nos transmittuntur, propterea accidit, ut ad majorum inventa aliquid procudendo posteriores adjiciant, & posteritati deniq; semper aliquid relinquatur a superioribus, quod aut emendatore aut illustratore indigeat;* ait Josephus Scaliger in Prolegomenis ad Manilii Astronomicon. Licet igitur glaciem, ut ita loquar, fregerint Chaldæi veteres, & primi cœlestium contemplationum mysteria panderint, sua etiam ætate, (utpote qua parum adhuc post diluvium orbis terrarum in studiis, quæ nunc Philosophiæ nomine veniunt, profecerat, imo paucissimæ gentes in istam curam

incumbebant) præ cæteris mortalibus in his ſcientiis excelluerint: utut etiam plurima ab iis acceperint ſequentium temporum Philoſophi, adeo ut ipſe Ariſtoteles lib. II. de Cœlo c. XII. t. LX. fateatur, ſe a Babyloniis, qui dudum a multis annis motus ſiderum obſervaverint, *πολλὰς πίστεις*, plurima fide digna de ſingulis ſtellis accepiſſe; Herodotus item in Euterpe teſtetur, polum & gnomonem, parteſque diei duodecim, Græcos didiciſſe à Babyloniis: nihilo tamen ſecius poſteris magnum heic relictum fuit ſpicilegium, Græcis inprimis, qui multum ſtudii in hoc collocarunt, ut majorum inventa illuſtrarent, emendarent, elaborarent. Quam in rem Plato in Epinomide: *λάβωμεν δὴ ὡς ὅ, τι περ ἂν Ἕλληνες βαρβάρων παραλάβωσι, κάλλιον τοῦτο εἰς τέλος ἀπεργάζονται*, *ſecure concludamus*, inquit, *quæcunque Græci a Barbaris acceperunt, ea tandem ipſos facere meliora.*

IIX. Sed ſi vel maxime concederetur Peyrerio, ſcientias ſiderales jam tum Abrahami ævo ad debitam perfectionem fuiſſe perductas, an ideo inſufficiens ſimpliciter earundem propagationi judicandum tempus quod ab Adamo formato ad natum Abrahamum intercipitur, & congerendæ tot annorum ſtrues? Utique ab exordio mundi ad patrem credentium anni præterlapſi ſunt circiter MM. quod ſane ſpatium adeo exiguum non eſt, ut *ἐκ τῶν ἀδυνάτων* ſit, intra illud unam alteramve diſciplinam Mathematicam perfecte addiſci. Incidenter heic notamus, quod Ariſtoteles, ut eſt apud Simplicium comment. XLVI. in lib. II. de Cœlo, Calliſtheni, conſobrino & diſcipulo, cum Alexandro in Aſiam eunti, in mandatis dederit, ut earum rerum, quas Chaldæi in cœleſtibus obſervaſſent, commentarios ad ſe mitteret; atque ille MM. circiter annorum obſervationes miſerit; qui numerus priori iſti a condito mundo ad Abrahamum computato reſpondet. Obſervari & illud poteſt, quod Joſephus, de longævitate antediluvianorum ejuſque cauſa agens lib. I. Antiq. Jud. c. IV. inter alia ſcribat: *propter utilitatem inventarum artium, ut Aſtronomiæ ac Geometriæ, Deus illis prolixiorem largitus eſt vitam; qua-*

rum certitudinem assequi non poterant, si minus DC. *annis vixissent.* En longinquitatem vitæ & temporis ad artes imbibendas necessariam judicat Historicus, absit tamen ut tot annos ad id requirat, quot poscit Peyrerius.

IX. Cæterum, antequam disquisitionem hanc finiamus, monere libet, nondum satis de eo constare, quidnam per *annum* intellectum velint Chaldæi, quando de scientiarum suarum antiquitate loquuntur; num spatium illud, quod Sol motu suo proprio per XII signa vagando determinat; an vero diē, aut etiam mensem. Nam, ut scribit Macrob. lib. II. in somniū Scipionis c. XI. *annus non is solus est, quem nunc communis omnium usus appellat: sed singulorum seu luminum, seu stellarum, emenso omni cœli circuitu, a certo loco in eundem locum reditus, annus suus est. Sic mensis lunæ annus est, intra quem cœli ambitum lustrat.* Svidas in voce ἥλιος *alii,* inquit, *dies pro annis putant; alii circuitus lunæ; alii quatuor tempora.* Confer quæ de diversis diversorum populorum annis præterea notarunt Macrobius lib. I. Saturnaliorum c. XII. Plutarchus in Numa; & Plinius lib. VII. c. XLIIX. item, quæ de saris Chaldaicis disserunt Scaliger in Notis ad Eusebium p. 246. & Alstedius lib. XVII. Encyclopædiæ, part. III. Uranometr. c. VI. Reg. XI. Quod si annus pro die sumeretur, ex CCCCLXX. millibus dierum emersuri essent MCCLXXXVII. anni cum residuis CCXLV. diebus. Lud. Vives, de præsenti materia agens in commentario ad Augustini lib. XII. de Civ. Dei c. X. *Ut ego,* inquit, *conjecturam quoque meam de tanto annorum apud gentes illas numero non celem, existimo, homines motibus cœlorum siderumque deditissimos uniuscujusque erronis astri conversionem pro anno computasse, ita ut in triginta annis solaribus sit unus Saturni, quinque Jovis, sex Martis, plures triginta Mercurii & Veneris, lunares fere quadringenti. Ita sunt plus minus quingentis.* Sed quicquid de eo sit, *nos non habemus necesse omnia credere quæ continet historia gentium, cum & ipsi inter se Historici, sicut ait Varro, quasi data opera & quasi ex industria per multa dissentiant, sed ea, si volumus, credimus, quæ non adversantur libris, quibus non dubitamus oportere nos credere*: uti loquitur

Augustinus lib. xxii. de Civ. Dei c. vi. qui jam supra lib. xiix. c. xl. contra Ægyptios, Chaldæis in multiplicandis annorum myriadibus ὁμοψήφους, agens, dixerat: *nos in nostræ religionis historia, fulti autoritate divina, quicquid ei resistit, non dubitamus esse falsissimum, quomodolibet sese habeant cætera in secularibus literis, quæ sive vera seu falsa sint, nihil momenti afferunt, quo recte beateque vivamus.* Cum itaque Scriptura principium creationis in Adamo figat, Marc. x, 6. a condito autem Adamo nondum sex millia annorum elapsa sint, manifestum est, Chaldæorum opinionem esse falsissimam. Confer quæ in hanc rem disserit Lactantius, lib. vii. Divin. Institut. c. xiv.

X. Atque hactenus de Chaldæis, quorum non unam fuisse sectam, sed multiplicem, docet Strabo lib. xv. quando scribit: *Chaldæorum Astronomicorum genera sunt aliquot. Nam quidam Orcheni dicuntur, quidam Borsippeni, & alii complures, qui, ut in sectarum fieri solet diversitate, iisdem de rebus aliter atque aliter statuunt.* Refer huc quæ habet Lucretius lib. v. de rerum natura, ubi de Luna ita canit:

Inde minutatim retro contorquet & aufert
luciferam partem glomeraminis atque pilai:
ut Babylonica Chaldæum doctrina refutans
Astrologorum artem contra convincere tendit.

Videtur nimirum Poëta *Chaldæorum doctrinam Babylonicam* pro Astronomia posuisse, quam ab arte Astrologorum sive Genethliacorum distingvit. Quod etiam, ni fallor, Strabo confirmat, quando loco paulo ante adducto ait: *Reputata est habitatio peculiaris in Babylonia Philosophis indigenis, qui Chaldæi appellantur, Astronomiæ studio ut plurimum deditis. Sunt in his, qui ex natali hora hominum fata prædicere posse profitentur; quos alteri in consortium cœtus sui non admittunt.*

XI. Progredimur ad ÆGYPTIOS, itidem, ut ait Apulejus lib. x. Metamorph. *prisca doctrina pollentes*; quos pariter cum Chaldæis Astrologiam primos reperisse affirmat Clemens Alexandrinus lib. i. Strom. c. vii. quanquam alii dubitare videantur, utri nationi rectius gloria ista tribuatur. Lege Plinium

nium lib. VII. c. LVI. Agellium lib. XIV. c. I. Certe eodem tempore ambas eidem ſtudio inſudaſſe, hinc videtur liquere, quod plerumque ab autoribus conjunguntur, quando de primis ſideralium ſcientiarum cultoribus ſermo eſt. Vide inter alios Ciceronem lib. I. de Divinat. n. II. & XCIII. Theodoretus, ſub initium lib. I. de curat. Græc. affectionum, non deeſſe ſcribit, qui Ægyptios primos Aſtronomiæ inventores fuiſſe dicant. Herodotus item in Euterpe, Aſtrologiæ inventionem Ægyptiis adſcribit, quando ait: *Alia inſuper ſunt ab Ægyptiis excogitata, quis menſis dies ve cujus Deorum ſit, & quo quis die genitus, qualia ſortietur, & quam mortem obibit, & qualis exiſtet.* Imo aliqui aſſerere non verentur, Chaldæos, qui Babyloniam inhabitant, Ægyptiorum eſſe ἀποίκους ſive colonos, & ab eorum Sacerdotibus Aſtrologiam didiciſſe, uti refert Diodorus Siculus parte poſteriori lib. I. Bibliothecæ; qui jam ſupra narraverat, Ægyptios dicere, ſe inter alias ſcientias plurimas etiam illam, quæ aſtrorum motus conſiderat, inveniſſe: & de Thebanis, Ægyptii populis, ſcripſerat quæ ſubjicimus: *Thebai vetuſtiſſimos mortalium ſe eſſe prædicant, apud quos omnium primos Philoſophia & exactior Aſtrologia ſit inventa, adjuvante ipſos terræ ſitu ad ortus & occaſus ſiderum illuſtrius cognoſcendum. Nam dies non ad Lunæ ſed Solis motum exigentes, XXX. menſibus dies tribuunt, & poſt duodecimum quemque menſem quinque dies cum quadrante intercalant, eoque pacto circulum annuum abſolvunt. Menſes autem intercalares non adjiciunt, nec dies aliquot ſubducunt, quod Græcorum pleriſque in uſu eſt. Hi Solis & Lunæ defectus accurate videntur obſervaſſe, & divinationes ex his ita inſtituunt, ut ſingulatim omnes eventus certiſſime prædicant.* Similia prorſus hæc ſunt iis, quæ de Thebanis Sacerdotibus leguntur apud Strabonem lib. XVII. *Quam maxime*, inquit ille, *Aſtronomi & Philoſophi appellantur qui illic ſunt Sacerdotes. Hi non Lunæ ſed Solis curſu dies numerant, XXX. dierum XII. menſibus quinque dies quotannis adjicientes. Ad totius vero anni complementum, cum quædam diei particula excurrant, continuationem quandam temporum e totis diebus totiſque annis componunt, quot*

par-

particulæ excurrentes & coëuntes diem conficiunt. Ante hos omnes dudum Herodotus ab Ægyptiis Sacerdotibus sibi narratum retulit, *omnium hominum primos Ægyptios annum comperisse, distingventes eum in duodecim temporum menses: & hæc compersisse ex astris.* Confer Clementem Alexandrinum lib. I. Strom. c. VII. Ubi tamen, quod ad anni in XII. menses divisionem attinet, notetur, eam immerito Ægyptiis, ut primis autoribus, tribui, cum hujus moris jam ante diluvium usitati luculenta appareant vestigia in historia Mosaica. In Ægypto autem serius demum eundem morem fuisse reductum autor est Censorinus, cujus verba habes infra n. XVI. Sed de his prolixe agere non est præsentis loci. Quanquam vero sideralis scientiæ inventionem sibi arrogant Ægyptii (quo de porro videri possunt Diodorus lib. V. Diogenes Laërtius in proœmio) Josephus tamen lib. I. Antiq. Jud. c. IX. affirmat, quod eam acceperint a Chaldæis, & quidem per Abrahamum, qui, fame Cananæam premente, in Ægyptum erat profectus. *Et numerorum scientiam,* inquit, *& siderum benigne illis* Abraham *communicavit: nam ante Abrahami ad se adventum Ægyptii rudes erant hujusmodi disciplinarum, quæ a Chaldeis ad Ægyptios profectæ, hinc ad Græcos tandem pervenerunt.* Ita Josephus, & ex eo Eusebius lib. IX. Præpar. Evang. c. IV. qui mox idem confirmat verbis Eupolemi ab Alexandro Polyhistore citatis, ac Artapani. Et certe, ante Ægyptios a Chaldæis siderum esse scientiam excultam, etiam Hipparchi & Jamblichi testimonio docet Proclus lib. I. in Timæum Platonis. Fortassis idem voluit Aristoteles, ex cujus libro I. de Philosophia Diogenes Laërtius refert, Magorum disciplinam Ægyptiaca antiquiorem esse. Etenim *Magorum* nomine Chaldæorum etiam Sapientes venire suo loco ostendemus. Sane *mirum, si ante Babylonios hæc scientia* (Astrologia) *fuerit Ægyptiis nota, tam tardas esse observationes Ægyptiorum; Babyloniorum vero tam antiquas. Nec enim ullæ Ægyptiorum sunt, quæ præeant excessum Alexandri M. ita ut Græci ipsi habeant vetustiores: puta illas Euctemonis, & Metonis, quæ centum annis antecessere epocham Alexandri.* Verba

ba ſunt Gerh. Io. Voſſii lib. de ſcientiis Mathematicis c. xxx. §. xiv.

XII. Sed quicquid tandem de ea controverſia ſit, illud extra dubitationem poſitum eſt, Ægyptios non minus quam Chaldæos ſiderali ſcientiæ ſedulo invigilaſſe. *Ipſa eorum memorabilis doctrina, quæ appellata eſt ſapientia, quid erat niſi maxime Aſtronomia?* inquit Auguſtinus lib. xiix. de Civit. Dei cap. xxxix. cum quo confer præter autores jam ante memoratos, Ariſtotelem lib. ii. de Cœlo c. xii. t. lx. Strabonem lib. xvii. Geographiæ, Ammianum Marcellinum, lib. xxii. in fine, autorem Reſponſionum ad Orthodoxos, (qui vulgo, ſed perperam, Juſtinus Martyr creditur) quæſt. xxv. Cumprimis vero adi Diodorum Siculum, qui parte poſteriori lib. i. ſuæ Bibliothecæ hiſtoricæ: *Ægyptii,* inquit, *accuratiſſime ſiderum conſtitutionem & motum obſervant, & deſcriptiones ſingulorum per incredibilem annorum numerum cuſtodiunt, cum ab antiquiſſimis inde temporibus hoc apud eos ſtudium certatim ſit agitatum. Planetarum quoque motus, circuitus, & ſtationes, vires inſuper uniuscujusque circa ortus animantium, quid boni malive efficiant, cupide & impenſe annotarunt: ſæpius item hominibus futura contingentia prædixerunt, non raro etiam ſterilitatem aut fructuum ubertatem, morbos hominibus ac brutis communes præſignificarunt, terræ tremores & diluvia, ortus cometarum, & quorumcunque cognitio humanam excedere facultatem vulgo putatur, ex longi temporis obſervatione prænoſcunt.* Ita Diodorus, cui ſuffragatur Cicero lib. i. de Divinat. n. ii. Poſtquam enim de Chaldæorum Aſtronomia & Aſtrologia attulerat quæ ſupra n. iv. citavimus: *eandem artem,* ſubjungit, *etiam Ægyptii longinquitate temporum innumerabilibus pene ſeculis conſecuti putantur.* Ubi notetur, quod Tullius dicat, Ægyptios ſcientias ſiderales conſecutos eſſe *innumerabilibus pene ſeculis*; quemadmodum Diodorus ſcribit, cuſtodiiſſe illos deſcriptiones motuum cœleſtium ἐξ ἀπίστων ἐτῶν, *ab incredibilibus annis.* Nimirum, ſicut Chaldæi, ceu ſupra n. vi. viſum, tot annorum millia numerant, ex quo cœli contemplationi vacaverint, ut, (ſi quidem

de

de annis solaribus loquantur)nullo negotio eorum figmenta deprehendantur: ita quoque Ægyptii, Chaldæorum, juxta plerosque, in Astrologicis æmuli, *solent falso & inaniter de suarum doctrinarum antiquitate gloriari*, ut loquitur Augustinus lib. xiix. de Civit. Dei c. xxxix. Nec mirum; cum ex Herodoto lib. ii. Pomponio Mela lib. i. de situ orbis c. ix. Diodoro Siculo lib. i. &, qui hujus verba repetit, Eusebio lib. ii. Præpar. Evang. c. i. constet, tantopere hos populos antiquitatis gloriam affectasse, ut omnium hominum se primos extitisse arbitrati sint, orbique, ut Mela addit, persuadere non erubuerint, *dum Ægyptii sunt, quater cursus suos vertisse sidera*, hoc est, si cum Ptolemæo supponamus, stellas fixas motu proprio centenis annis unum absolvere gradum, præterlapsa esse cxliv. millia annorum: si vero, ut Plato ipsique Ægyptii opinati sunt, demum xlix. annorum millibus exactis sidera ad eundem situm redire dicamus, cxcvi. annorum millia effluxisse. Jactantia digna Ægyptiis, *viris ventosis, jactantibus, vanis*; quo encomio eos ornat Flavius Vopiscus in Saturnino, Hadrianus Aug. in Epistola ad Servianum, a Vopisco ibidem producta, & Plinius in Panegyrico Trajano Imp. dicto. Sed de illhac Ægyptiorum vanitate prolixe agere præsentis non est loci. Vide, si placet, quæ in hanc rem disserit Augustinus lib. xii. de Civ. Dei c. x. ejusque commentator Lud. Vives.

XIII. Quod vero Astronomia Ægyptiorum tantæ vetustatis non sit, quantæ a multis perhibetur, id vel ipsorum testimonio probatur. Strabo namque lib. xvii, ubi dixerat, Thebanos Sacerdotes Astronomiam & Philosophiam excolere, mox subjungit, *eos hujusmodi sapientiam omnem Mercurio tribuere*. Confirmat id Diodorus Siculus, quando parte posteriori l. i. statim sub initium, Sacerdotes Ægyptios tradere ait, *repertorem disciplinarum & artium fuisse Mercurium*. Idem parte priori ejusdem libri eorundem Sacerdotum fide diserte scribit, *Mercurium astrorum cursus primum observasse*. Confer Ciceronem lib. iii. de natura Deorum, n. lvi. (ad quem provocat Lactantius lib. i. divin. Instit. c. vi.) & San-

chonıatonem apud Philonem Byblium, citatum ab Eusebio lib. I. Præpar. Evang. c. VI. Atqui Mercurius, ut memorato loco Diodorus affirmat, floruit tempore Isidis & Osiridis, sive Apis, aut Serapis; atque sic, juxta computum Eusebii in Chronicis, & Augustini lib. XIIX. de Civit. Dei c. V, XXXVII. circa tempora Jacobi Patriarchæ: quanquam alii Abrahamo, Athan. Kircherus ipsi Misraim æqualem fuisse, velint. Utcunque fuerit, si a Mercurio sideralem doctrinam acceperunt Ægyptii, falsum est illos *innumerabilibus pene seculis* eandem fuisse consecutos, & per *incredibiles annos* descriptiones motuum cœlestium custodiisse; quod supra Cicero ac Diodorus asserebant. Urget hoc argumentum Augustinus, dum lib. XIIX. de Civ. Dei c. XXXVII. *Sed nec sapientia Ægyptiorum*, inquit, *sapientiam Prophetarum nostrorum tempore antecedere potuit, quandoquidem & Abraham Propheta fuit. Quid autem sapientiæ esse potuit in Ægypto, antequam eis Isis, quam mortuam tanquam Deam magnam colendam putaverunt, literas traderet? Isis porro Inachi filia fuisse proditur, qui primus regnare cœpit Argivis, qn. Abrahæ jā nepotes reperiuntur exorti.* Et c. XXXIX. *Nulla gens de antiquitate sapiētiæ suæ super Patriarchas & Prophetas nostros, quibus inerat divina sapientia, ulla se vanitate iniqua jactaverit, quādo nec Ægyptus invenitur, quæ solet falso & inaniter de suarū doctrinarū antiquitate gloriari, qualicunq; sapientia sua Patriarcharum nostrorum tempore prævenisse sapientiam. Neq; enim quisquam dicere audebit, mirabilium disciplinarum eos peritissimos fuisse, antequam literas nossent, id est, antequam Isis eo venisset, easq; ibi docuisset.* Ibidem, paucis interjectis: *Quod attinet ad Philosophiam, quæ se docere aliquid profitetur, unde fiant homines beati, circa tempora Mercurii, quem Trismegistum vocaverunt, in illis terris ejusmodi studia claruerunt: longe quidem ante Sapientes vel Philosophos Græciæ, sed tamen post Abraham, & Isaac, & Jacob, & Joseph; nimirum etiam post ipsum Moysen. Eo quippe tempore quo Moyses natus est, fuisse reperitur Atlas ille magnus Astrologus* (vide Diod. Siculum lib. III. Plinium lib. II. c. IIX. lib. VII. c. LVI. Eupolemum, apud Eusebium lib. IX. Præp. Evang. c. IV.) *Prome-*

methei frater, maternus avus Mercurii majoris, cujus nepos fuit Trismegistus iste Mercurius. Frustra itaq;, concludit tandem Augustinus c. xl. *vanissima præsumptione garriunt quidam dicentes, ex quo rationem siderum comprehendit Ægyptus, amplius quam centum annorum millia numerari. In quibus enim libris istum numerum collegerunt, qui non multum ante annorum duo millia literas magistra Iside didicerunt? Non enim parvus autor est in Historia Varro, qui hoc prodidit, quod a literarum etiam divinarum veritate non dissonat.*

XIV. M. Terentium Varronem, quem heic *non parvum autorem esse in Historia* dicit Augustinus, *virum insignis excellentiæq; peritiæ*, item, *hominem acerrimum ac peritissimum* vocat idem lib. vi. c. ii. *qui tam multa legit*, inquit, *ut aliquid ei scribere vacasse miremur; tam multa scripsit, quam multa vix quenquam legere potuisse credamus.* Nempe testatur ipse Varro lib. i. Hebdomadum, citante Agellio lib. iii. c. x. se, cum *jam duodecimam annorum hebdomadam ingressus esset*, id est, annos complesset, circiter lxxx. *septuaginta hebdomadas librorum*, sive libros ccccxc. *conscripsisse*. Ex his xli. libros Antiquitatum, quorum xxv. de rebus humanis, reliqui xvi. de divinis agant, laudat Augustinus dicto loco c. iii. eosque, cum de Diis gentium eorumque sacris disserere instituisset, præ cæteris considerandos sibi sumit. *Quis* enim *Marco Varrone curiosius ista quæsivit? quis invenit doctius? quis consideravit attentius? quis distinxit acutius? quis diligentius pleniusq; conscripsit? qui tametsi minus est suavis eloquio, doctrina tamen atq; sententiis ita refertus est, ut in omni eruditione, quam nos secularem, illi autem liberalem vocant, studiosum rerum tantum iste doceat, quantum studiosum verborum Cicero delectat*; ait sub initium c. ii. ubi etiam mox de eodem, Ciceronis, συγχρόνου & familiaris ipsius, judicium adducit: *Et ipse Tullius*, inquiens, *huic tale testimonium perhibet, ut in libris Academicis dicat, eam, quæ ibi versatur, disputationem se habuisse cum Marco Varrone, homine, inquit, omnium facile acutissimo, & sine ulla dubitatione doctissimo. — In eis libris, i.*

Academicis, ubi cuncta dubitanda esse contendit, addidit : sine ulla dubitatione doctissimo. *Profecto de hac re sic erat certus,[3] ut aufferret dubitationem, quam solet in omnibus adhibere, tanquam de hoc uno, etiam pro Academicorum dubitatione disputaturus, se Academicum esset oblitus.* Non extat hic locus in iis Academicarum quæstionum libris, qui hodie supersunt: nec adeo id mirandum, cum notum sit, etiam alia non pauca in iis deesse. Extat vero alter ille quem ex libro I. citat Augustinus, & priori subjungit. Ita vero ibi, juxta Lambinianā editionē n. IX. Varronem compellat Tullius: *Nos in nostra urbe peregrinantes errantesq; tanquā hospites, tui libri quasi domū deduxerūt* (reduxerūt, legit Augustinus) *ut possemus aliquando, qui, & ubi essemus, agnoscere. Tu ætatem patriæ, tu descriptiones temporum, tu sacrorum jura, tu Sacerdotum, tu domesticam, tu bellicam disciplinam, tu sedem regionum & locorum, tu omnium divinarum humanarumq; rerū nomina, genera, officia, causas aperuisti.* Allegat quoque mox Augustinus *elegantissimum illum*, quem vocat, *versiculum* Terentiani: *Vir doctissimus undecunq; Varro.* Addi his potest testimonium Agellii, cui Varro audit *doctrinarum multiformium variarumq; artium, quibus humanitas erudita est, culmen*, lib. XIX. c. XIV. Symmachi, qui lib. I. Epist. II. *Romanæ eruditionis parentem* eum vocat; Lactantii, qui lib. I. divin. Instit. c. VI. eundem appellat virum, *quo nemo unquam doctior, ne apud Græcos quidem, nedum apud Latinos*; Arnobii, cui lib. V. adversus Gentes dicitur *multiformibus eminens disciplinis & in vetustatis indagatione rimator*: sicut Quintiliano lib. X. c. I. *peritissimus omnis antiquitatis*; & Ciceroni in Bruto, n. LX. *diligentissimus investigator antiquitatis.* Hunc porro etiam viventem, cum multum valet invidia, *doctissimum omnium togatorum* vocarunt, viventique, quod nemini antea contigit, statua posita est in Bibliotheca, quæ prima in orbe ab Asinio Pollione Romæ publicata est. Lege Plinium lib. VII. Natur. Hist. c. XXX.

XV. Hæc Varronis encomia ideo heic recitamus, ut appareat, non deesse etiam inter scriptores τοὺς ἔξω viros summæ autoritatis, quos opponere possimus aliis autoribus paganis

nis, ſiquidem illi Ægyptiorum vanitati patrocinentur, nominatim Diodoro Siculo & Herodoto, quorum teſtimoniis pro eorundem jactantia ſtabilienda uſurus Præ-Adamitarum parens Peyrerius, totus in eo eſt, ut illorum fidem, φιλοπονίαν, ac eruditionem commendet, lib. VII. Syſtem. Theol. c. VI, VII. quam etſi & nos magni faciendam eſſe minime diffitemur, ita tamen Hiſtoricis iſtis fidem adhibemus, ut multa apud eos parum recte ſe habere agnoſcamus. Diodori plurima eſſe σφάλματα, præſertim in chronologicis, dudum obſervarunt Sigonius, Pighius, Bodinus, alii; ipſe etiam Voſſius, qui alias eum adverſus Lud. Vivem, *nihil Diodoro eſſe nugacius*, ſcribentem, defendit lib. II. de Hiſtoricis Græcis c. II. ſicut jam ante, & quidem paulo prolixius, id fecerat Henricus Stephanus, in tractatu de Diodoro ejusque ſcriptis, quem Græcæ ſuæ editioni præmiſit. Herodotum *hominem fabulatorem* vocat Agellius lib. III. c. X. & Cicero, ubi *patrem hiſtoriæ* appellaverat, notam hanc addit, *innumerabiles fabulas* apud eum eſſe, lib. I. de Legibus, n. XII. ipſe item Diodorus, Peyrerii oraculum, Herodotum *portenta narrationum pro veritate ſponte amplexum, & ψυχαγωγίας ἕνεκα animi cauſa fabulas commentum eſſe* ſcribit parte poſteriori lib. I. Eundem Manethon natione Ægyptius, *frequenter arguit in rebus Ægyptiis ignoratione mentitum*, ut ait Joſephus lib. I. contra Apionem; qui ipſe jam ſupra dixerat, Herodotum in plurimis mendacem eſſe, cunctos oſtendere. Plutarchus demum eouſque progreditur, ut ſcribere non dubitet, *qui omnia Herodoti mendacia & figmenta velit recenſere, multis libris opus habiturum*; in opuſculo, quod de Herodoti κακοηθείᾳ peculiariter emiſit: cui tamen luculenter reſponderunt Joachimus Camerarius, & Henricus Stephanus, in ſuis pro Herodoto Apologiis; cum quibus confer quæ in hanc rem differunt Alciatus, præfatione in Tacitum; Lud. Vives lib. II. de cauſis corruptarum artium; & amicus ac ſympatriota noſter Jo. Vorſtius, Exercit. Academ. I. n. II. Et merito quidem tanti ſcriptoris patrociniũ ſuſceperunt viri docti, quem ex quadam animi vanitate falſa nobis

bis narrare voluisse non facile sibi persuadebit, qui cogitaverit, nec ipsum omnia, quæ narrat, credidisse. Sane ita non tantum colligere est ex formulis, quibus frequenter utitur: *ut audivi, ut ajunt, ut narrant*; sed & aperte id profitetur ipse, quando in Polymnia: *Ego*, inquit, *commemorare debeo quæ ab aliis accepi, credere non omnino debeo.* Acquiescamus itaque in H. Conringii judicio, qui in præfatione Adversariorum Chronologicorum: *perstat enim vero sententia*, inquit, *Herodotum præ aliis Græcis in barbararum gentium rebus sequendum, & per summam injuriam historiæ illum Græcæ patrem vulgo exsibilari.* Interim id certum manet, multa apud eundem occurrere digna quæ obelo notentur, inprimis quando de rebus Ægyptiis agit. Et quid mirum, cum plurima, in Ægypto agens, acceperit a Sacerdotibus, hominibus adeo fabulosis, ut ipse Herodotus in Euterpe *nugatores* eos appellare non dubitet; qui & paulo ante, ubi non pauca ab iisdem audita narraverat: *hæc quidem ab Ægyptiis relata sunt*, ait, *quæ cuicunque credibilia videntur, is eis utatur. Mihi autem tota hac narratione constitutum est ea scribere quæ auditu cognovi?* Certe Ægyptios sublestæ fidei viros fuisse, etiam inde liquere potest, quod *αἰγυπτιάζειν dolose agere* autoribus significet. Nota quoque sunt adagia: *Λυδοὶ πονηροὶ, δεύτεροι δ᾽ αἰγύπτιοι, Lydi improbi, post hos secundi Ægyptii: δεινοὶ πλέκειν τὰς μηχανὰς αἰγύπτιοι, nectunt stupendas machinas Ægyptii.* Confer præterea, quæ de fide Ægyptiacæ historiæ disserit Conringius in Adversar. Chronol. c. xvi, xvii. ubi inter alia ostendit, eam a Psammiticho usque, qualis tradita est ab Herodoto, sic satis esse similem vero, reliquæ autem omnis antegressi ævi longe aliam esse rationem. Etenim in ea nihil nos posse juvare testimonia aliarum gentium, unam si Judaicam excipias. Et quid? annon ipse Peyrerius lib. iv. System. Theol. c. xiii. fatetur, *se nullam fidem adhibere Ægyptiis, ubi se vel aborigines, vel populorum antiquissimos gloriantur?* cur itaque cæteris eorum commentis & narrationum portentis fidem conciliare tantopere laborat?

XVI. Sed quo dilabor? animus erat ostendere, frustra esse Ægyptios, quando, se motuum cœlestium descriptiones *ab incredibilibus annis* custodiisse, jactitant: idque, ni fallor, ex hactenus dictis nunc facile liquet, si quidem de annis solaribus, qualibus nos hodie utimur, loquantur; quod existimat Peyrerius, satis audacter asserens, loco supra laudato, nullos alios apud Ægyptios obtinuisse annos, quam qui ex XII. mensibus componuntur; nec unquam eos fuisse usos annis menstruis, sive (ut per contemptum vocat) *annorum minutiis & quisquiliis*: cum tamen gravissimi autores contrarium manifeste trâdant. *Annum*, ait Plinius lib. VII. c. XLIIX. *lunæ senio* determinabant *Ægyptii: itaque apud eos aliqui & singula millia annorum vixisse produntur.* Sic Plinius, ad quem provocat Augustinus lib. XV. de Civ. Dei c. XII. Idem a Varrone proditum annotat Lactantius, quando lib. II. Div. Instit. c. XII. *Varro*, inquit, *argumentari nixus est, cur putarentur antiqui mille annos vicitasse: ait enim apud Ægyptios pro annis menses haberi, ut non Solis per* XII. *signa circuitus faciat annum, sed Luna, quæ orbem illum signiferum* XXX. *dierum spatio illustrat.* Quin ipse Diodorus Siculus (cujus autoritate suam opinionem stabilire nititur Peyrerius) ubi dixerat, Sacerdotes Ægyptiorum, facta supputatione temporum a Regno Solis ad transitum Alexandri in Asiam, annos circiter XXIII. millia colligere; fabulari præterea, Deorum antiquissimos regnasse annis amplius MCC. posteriores vero non minus CCC. *cum fidem excedat illa annorum multitudo*, subdit, *nonnulli affirmare non verentur, quod olim, Solis motu nondum cognito, annus ad Lunæ circuitum descriptus fuerit; cumque ita anni sint* XXX. *dierum, non impossibile esse, ut aliqui annos* MCC. *viverent, quandoquidem nunc etiam, cum anni* XII. *mensibus constant, non pauci ultra centum annos vivant. Consimilia de illis dicunt, qui* CCC. *annos dicuntur regnasse: illorum enim ætate annum* IV. *mensibus absolutum ajunt.* Hæc Diodorus: quibus prorsus gemina habet Plutarchus in Numa, ubi: *Ægyptiis*, inquit, *menstruus annus fuit, mox quadrimestris, ut ferunt: qui quamvis regionem colant maxime novitiam, habentur vetustissimi, & numerum anno-*

rum in Annalibus suis infinitum supputant, mensibus inter annos annumeratis. Eadem plane verba habes apud Stobæum in Physicis c. xi. Sic Augustinus lib. xii. de Civ. Dei c. x. *Perhibentur Ægyptii tam breves annos habuisse, ut quaternis mensibus finirentur: unde annus plenior & verior, qualis nunc & nobis & illis est, tres eorum annos complectebatur antiquos.* Censorinus de die natali c. xix. *In Ægypto antiquissimum ferunt annum bimestrem fuisse; post deinde ab Isone Rege quadrimestrem factum: novissime Arminon ad tredecim (duodecim* legendum monet Conringius) *menses, & dies quinque perduxisse.* Jul. Solinus in Polyhistore c. iii. *apud Ægyptios* annus *quatuor mensibus terminabatur.* Proclus item lib. i. in Platonis Timæum, ac Marsilius Ficinus Comp. in eundem, c. v. & in argumento, quod ejusdem Atlantico præmisit, ex Evdoxo docent, *annos illos Ægyptios*, quos tanto numero recensent, *non Solares fuisse, sed Lunares.* Vocat autem Marsilius *annum lunarem* spatium istud, quo Luna, peragrato toto Zodiaco, motum suum proprium absolvit; quo sensu etiam Macrobius accipit lib. i. Saturnal. c. xiv. dum ait: *Lunaris annus mensis est, quia Luna paulo minus quam mensem in Zodiaci circuitione consumit.* Alias apud Astronomos hodie usus obtinet, ut Lunaris dicatur annus, qui solari xi. diebus minor est; intervallum nempe illud, quo Luna Soli duodecies conjungitur. Atque ita de priscis Ægyptiorum annis scriptores magni nominis: quorum sententiam etsi repudient Lactantius lib. ii. Divin. Instit. c. xii. Africanus apud Eusebium, & plerique doctiores, non desunt tamen, qui nimis durum existiment, antiqua hæc ut manifeste falsa rejicere.

XVII. Sed hæc sufficiant de Ægyptiorum scientia siderali; cujus sedulam curam primam astrolatriæ ansam præbuisse testis est Eusebius lib. i. Præp. Evang. c. vi. quando ait: *Ægyptios ferunt primos omnium, oculos cum in cœlum sustulissent, motum, ordinem & quantitates cœlestium corporum admiratos, Solem & Lunam Deos putasse.* Lactantius vero e diverso, cultum siderum Astronomiæ excolendæ occasionem dedisse asserit, dum lib. ii. Div. Instit. c. xiii. *Omnium primi*, inquit, *qui Ægyptum*

ptum occupaverunt, cœlestia suspicere atque adorare cœperunt. Et quia neque domiciliis tegebantur, propter aëris qualitatem, nec ullis in ea regione nubibus subtexitur cœlum, cursus siderum & defectus notaverunt; dum ea sæpe venerantes, curiosius atque liberius intuerentur. Præter Astronomiam Ægyptii exercuerunt, imo primi invenerunt, Geometriam, necessitate ad id invitante. Nempe cum Nilus annua inundatione sua agrorum fines turbaret, & vero, postquam in alveum ille redierat, sua cuique essent restituenda, ne limitum incertitudo æternam crearet dissensionum ac litium materiam, arte viaque opus erat, qua, dimetiendis agris, controversiæ dirimerentur. Strabo, cum de variis Ægypti sectionibus dixisset lib. XVII. Geographiæ, mox addit: *Opus autem fuit tam diligente ac subtili locorum divisione, propter continuas finium confusiones, quas Nilus auctus efficiebat, aliis addens, aliis adimens, & immutans figuras, & signa obruens, quibus proprium discernebatur ab alieno. Itaque identidem dimetiri oportebat; atque hinc ab Ægyptiis credunt Geometriam inventam fuisse.* Diodorus Siculus, de Sacerdotalium liberorum institutione agens parte posteriori libri I. Bibliothecæ historicæ: *In Geometriæ studiis,* inquit, *prolixius eos exercent. Nam quia fluvius quotannis egressus varie agros transformat, multas omnis generis controversias inter vicinos de limitibus excitat, quas exacte dirimere non facile est, nisi Geometriæ peritia veritas ostendatur.* Idem longe ante tradiderat Herodotus in Euterpe, isthac occasione natam in Ægypto Geometriam, atque inde in Græciam transcendisse, diserte scribens. Confer etiam Jamblichum lib. I. de vita Pythagoræ, & Servium in Eclogam Virgilii III. ac adde præterea Tatianum, sub initium Orationis ad Græcos, Clementem Alexandrinum lib. I. Strom. c. VII. Origenem Homil. II. in Genesin, Eusebium lib. X. Præpar. Evang. c. II. Theodoretum lib. I. de curatione Græcarum affectionum, Autorem Responsionum ad Orthodoxos, quæst. XXV. Ammianum Marcellinum lib. XXII. in fine. Quia vero *ad Astrologiam & Geometriam maxime confert Arithmetica,* uti Diodorus dicto loco ait, inde, scribente eodem, hanc quoque scientiam sibi excolendam putarunt

Ægyptii. Quam quidem ibidem a se primum inventam fuisse ipsi dicunt, teste Diogene Laërtio in proœmio; Josephus vero, quod ab Abrahamo illam didicerint, adstruit lib. I. Antiqu. Jud. c. IX. Quanquam alii ejus disciplinæ inventionem Phœnicibus tribuere malunt.

XIIX. Antequam ad alia progrediamur, placet apponere locum ex Clemente Alexandrino, unde, quam late olim patuerit Ægyptiorum Philosophia, cognosci poterit. Sic ergo vir ille πολυμαθέστατος lib. VI. Strom. cap. II. *Ægyptii propriam quandam suam persequuntur Philosophiam. Hoc autem maxime ostendunt sacræ eorum ceremoniæ. Primum enim procedit Cantor, unum aliquod afferens ex symbolis Musicæ. Eum dicunt oportere accipere duos libros ex libris Mercurii; ex quibus unus quidem continet hymnos Deorum, alter vero rationes vitæ Regiæ. Post Cantorem vero procedit Horoscopus, qui in manu habet horologium & palmam, symbola & signa Astrologiæ. Eum libros Mercurii, qui tractant de Astrologia, qui quidem sunt quatuor numero, oportet semper habere in ore: ex quibus unus quidem est de ordine inerrantium, quæ videntur, astrorum, alter verò de coitu & illuminatione Solis & Lunæ, reliqui de eorum ortu. Deinceps autem progreditur* ἱερογραμματεὺς, *id est, scriba sacrorum, pennas habens in capite, & librum in manibus, & regulam, in qua est atramentum ad scribendum, & juncus quo scribunt. Hunc oportet scire, & ea quæ vocantur hieroglyphica, & mundi descriptionem, & Geographiam, & ordinem Solis & Lunæ & quinque errantium, Ægyptique Chorographiam & Nili descriptionem, & descriptionem instrumentorum ornamentorumque sacrorum, & locorum eis consecratorum, mensurasque, & ea quæ sunt eis utilia. Deinde post eos, qui prius dicti sunt, sequitur qui dicitur* στολιστὴς, *id est, ornator, qui habet & justitiæ cubitum, & calicem ad libandum. Is scit omnia quæ vocantur* παιδευτικὰ, *id est, ad disciplinam & institutionem pertinentia, &* μοσχοσφαγιστικὰ, *hoc est, pertinentia ad ritum mactandorum vitulorum. Sunt autem decem quæ pertinent ad honorem eorum, qui sunt apud eos, Deorum, & Ægyptiam continent religionem: nempe sacrificia, primitiæ, hymni, preces, pompæ, dies festi, & quæ sunt his similia. Post omnes exit Propheta, qui in sinu aperte gestat*

gestat hydriam; quem sequuntur, qui emissos panes portant. Is, ut qui sit sacrorum præfectus, edifcit libros decem, qui vocantur Sacerdotales: continent autem de legibus, & Diis, & universa Sacerdotum disciplina. Propheta enim apud Ægyptios præest etiam distributioni vectigalium. Sunt ergo quadraginta duo libri Mercurii valde necessarii, ex quibus triginta quidem & sex, qui continent omnem Ægyptiorum Philosophiam, edifcunt ii qui ante dicti sunt: reliquos autem sex παστοφόροι, *id est, qui gestant pallium, ut qui pertineant ad Medicinam, nempe de constructione corporis, & de morbis, & de instrumentis, & medicamentis, & de oculis, & postremo de mulieribus.*

XIX. Idem Clemens lib. v. Strom. cap. 11. de Ægyptiorum disciplina hunc in modum differit: *Qui docentur ab Ægyptiis, primum quidem methodum edifcunt literarum omnium Ægyptiacarum, quæ vocatur* ἐπιστολογραφική, *hoc est, apta ad scribendas epistolas; secundam autem Sacerdotalem, qua utuntur* ἱερογραμματεῖς, *id est, qui de rebus sacris scribunt; ultimam autem* ἱερογλυφικὴν, *id est, sacram, quæ insculpitur, scripturam; cujus una quidem est per prima elementa* κυριολογική, *id est, proprie loquens, altera vero symbolica, id est, per signa significans. Symbolicæ autem una quidem proprie loquitur per imitationem, alia vero scribitur veluti tropice, alia vero aperte sumitur allegorice per quædam ænigmata. Qui Solem itaque volunt scribere, faciunt circulum; Lunam autem, figuram Lunæ cornuum formam præ se ferentem, convenienter ei formæ quæ proprie dicitur. Tropice autem, per convenientiam traducentes & transferentes, & alia quidem immutantes, alia vero multis modis transfigurantes, imprimunt. Regum itaque laudes fabulis, per quas in Deos referuntur, mandantes, insculptis includunt notis. Tertii autem generis, quod fit per ænigmata, hoc sit indicium. Alia quidem astra, propter obliquam conversionem, assimilabant corporibus serpentum; Solem vero scarabæi; quoniam, cum rotundam ex bubulo stercore effinxit figuram, eam vultu adverso convolvit. Ajunt autem, hoc quoque animal sex quidem mensibus sub terra, alteram vero partem anni vivere super terram, & semen in globum emittere, & gignere, & non nasci feminam scarabæum.* Eadem fere leguntur apud Porphyrium in vita Pythagoræ. De Hieroglyphica Ammianus

nus Marcellinus lib. XVII. ubi de Ægyptiorum obelisco disserit: *Formarum*, inquit, *innumeras notas, hieroglyphicas appellatas, quas ei undique videmus incisas, initialis sapientiæ vetus insignivit auctoritas. Volucrum enim ferarumque, etiam alieni mundi, genera multa sculpentes, ad ævi quoque sequentis ætates Imperatorum vulgatius perveniente memoria, promissa vel soluta Regum vota monstrabant. Non enim, ut nunc literarum numerus præstitutus & facilis exprimit quidquid humana mens concipere potest, ita prisci quoque scriptitarunt Ægyptii: sed singulæ literæ singulis nominibus serviebant & verbis; nonnunquam significabant integros sensus. Cujus rei scientiæ in his interim sit duobus exemplum. Per vulturem naturæ vocabulum pandunt; quia mares nullos posse inter has alites inveniri rationes memorant physicæ; perque speciem apis mella conficientis indicant Regem: moderatori cum jucunditate aculeos quoque innasci debere his signis ostendentes, & similia plurima.* Idem lib. XXII. *Volucrum*, ait, *ferarumque genera multa sculpserunt* Ægyptii, *& animalium species innumeras, quas hieroglyphicas literas appellarunt.* Junge Plutarchum, qui libro de Iside & Osiride: *Regem*, inquit, *& Dominum Osirin oculo & sceptro pictis* Ægyptii *exprimunt*; — — *Cœlum, quia ob perpetuitatem nunquam senescat, corde picto significant, cui focus ardens subjectus sit. Thebis simulacra fuerunt dedicata judicum manibus carentium, & Princeps judicum oculos in terram dejectos habens; quo innuebatur, justitiam donis & alloquiis non esse obnoxiam. Bellicosis sculptura annuli erat scarabeus: hoc enim insectum sexu feminco caret; omnes sunt masculi, & semine in materiam in globum redactam immisso propagant genus, non alimento magis quam procreationi locum parantes.* De Osiride gemina habet Macrobius lib. I. Saturn. cap. XXI. *Osirim*, scribens, *Ægyptii, ut Solem esse asserant, quoties hieroglyphicis literis suis exprimere volunt, insculpunt sceptrum, inque eo speciem oculi exprimunt, & hoc signo Osirim monstrant; significantes, hunc Deum Solem esse, Regalique potestate sublimem cuncta despicere; quia Solem Jovis oculum appellat antiquitas.* Verum de his mysteriis Ægyptiorum hieroglyphicis plura qui volet, consulat, quæ de isthoc argumento olim scripsit Orus Apollo, ex recentioribus

autem

autem Pierius Valerius, itemque Athanasius Kircherus in suo Oedipo Ægyptiaco, Romæ non ita pridem edito. Et tantum quoque de Ægyptiis

XX. PERSAS accedimus, apud quos, qui sapientiam profitebantur, MAGI dicti sunt. Testatur id Cicero, quando. *Magos genus sapientum & doctorum habitum in Persis,* scribit lib. I. de Divinatione num. XLVI. item Suidas, dum eos vocat τὰς παρὰ πέρσαις φιλοσόφυς καὶ φιλοθέυς. Confer Appianum lib. II. De bellis civilibus, Strabonem lib. XVI. Apulejum in Apologia, Theodoretum lib. V. Hist. Eccl. c. XXXIX. Sozomenum lib. II. c. IIX. Basilium M. Serm. de humana Christi generatione; Philonem in tractatu: quod omnis probus liber; & quæ ex Aristotelis Μαγικῷ, nec non Sotionis libris τῆς Διαδοχῆς affert Diogenes Laërtius in procemio. De origine & progressu Magorum Ammianus Marcellinus lib. XXIII. ita differit: *Magiam opinionum insignium auctor amplissimus Plato, Machagistiam esse verbo mystico docet, divinorum incorruptissimum cultum. Cui scientiæ seculis priscis multa ex Chaldæorum arcanis Bactrianus addidit Zoroastres: Deinde Hystaspes Rex* (error, cum Hystaspes Rex nō fuerit) *prudentissimus Darii pater. Qui cum superioris Indiæ secreta fidentius penetraret, ad nemorosam quandam venerat solitudinem, cujus tranquillis silentiis præcelsa Brachmanorum ingenia potiuntur; eorumque monitu rationes mundani motus & siderum, purosque sacrorum ritus, quantum colligere potuit, eruditus, ex his quæ didicit, aliqua sensibus Magorum infudit: quæ illi cum disciplinis præsentiendi futura, per suam quisque progeniem, posteris ætatibus tradunt. Ex eo per secula multa ad præsens una eademque prosapia multitudo creata, Deorum cultibus dedicatur.— Hujus originis apud veteres numerus erat exilis, ejusque mysteriis Persicæ potestates in rebus faciendis divinis solenniter utebantur. Eratque piaculum, aras adire, vel hostiam contrectare, antequam Magus, conceptis precationibus, libamenta diffunderet præcursoria. Verum aucti paulatim in amplitudinem gentis solidæ concesserunt & nomen: villasque inhabitantes nulla murorum firmitudine communitas, & legibus suis uti permissi, religionis respectu sunt honorati.* Junge Plinium, qui de

Magica

Magica sub initium lib. xxx. *Autoritatem*, inquit, *ei maximam fuisse nemo miretur, quandoquidem sola artium tres alias imperiosissimas humanæ mentis complexa in unam se redegit. Natam primum e Medicina nemo dubitat, ac specie salutari irrepsisse, velut altiorem sanctioremque quam Medicinam: ita blandissimis desideratissimisque promissis addidisse vires religionis, ad quas maxime etiamnum caligat humanum genus. Atque ut hoc quoque suggesserit (successit*, legunt alii) *miscuisse artes Mathematicas, nullo non avido futura de sese sciendi, atque ea de cœlo verissime peti credente. Ita possessis hominum sensibus triplici vinculo in tantum fastigii adolevit, ut hodieque etiam in magna parte gentium prævaleat, & in Oriente Regum Regibus imperet. Sine dubio illic orta in Perside a Zoroastre, ut inter autores convenit. Sed unus hic fuerit, an postea & alius, non satis constat. Eudoxus, qui inter sapientiæ sectas clarissimam utilissimamque eam intelligi voluit, Zoroastrem hunc sex millibus annorum ante Platonis mortem fuisse prodidit. Sic & Aristoteles. Hermippus, qui de tota ea arte diligentissime scripsit, & vicies centum millia versuum a Zoroastre condita, indicibus quoque voluminum ejus positis, explanavit, præceptorem, a quo institutum diceret, tradidit Azonacem, ipsum vero quinque millibus annorum ante Trojanum bellum fuisse.* Et paulo post: *Primus extat (ut equidem invenio) commentatus de ea Osthanes, Xerxem Regem Persarum bello, quod is Graciæ intulit, comitatus, ac velut semina artis portentosæ sparsisse, obiter infecto, quacunque commeaverat, mundo. Diligentiores paulo ante hunc ponunt Zoroastrem alium Proconnesium. Quod certum est, hic maxime Osthanes ad rabiem, non aviditatem modo, scientiæ ejus Græcorum populos egit.* Tandem subjicit: *Non levem & Alexandri magni temporibus autoritatem addidit professioni secundus Osthanes, comitatu ejus exornatus, planeque, quod nemo dubitet, orbem terrarum peragravit.*

XXI. Isti Persarum Magi sacra omnia privataque obibant, nec ullum absque eorum interventu rite sacrificium peragebatur, uti scribit Herodotus lib. I. cui consentit Amm. Marcellinus, dum, ut paulo ante audivimus, lib. XXIII. de Magorum genere agens: *Ejus*, inquit, *mysteriis Persicæ potestates in rebus faciendis divinis solenniter utebantur. Eratque piaculum,*

aras

aras adire, vel hostiam contrectare, antequam Magus, conceptis precationibus, libamenta diffunderet præcursoria. Hinc Apulejus in Apologia: *Si, quod ego apud plurimos lego, Persarum lingua Magus est, qui nostra Sacerdos; quod tandem est crimen, Sacerdotem esse, & rite nosse atque scire atque callere leges ceremoniarum, fas sacrorum, jus religionum? Siquidem Magia id est, quod Plato interpretatur* Θεῶν θεραπείαν, *cum commemorat, quibusnam disciplinis puerum Regium adulescentem Persæ imbuant.* Respicit ad locum Platonis, qui legitur in Alcibiade priore, quemque ipse Apulejus statim subjungit. Sic vero ille habet: Δὶς ἑπτὰ δὲ γενομένων ἐτῶν τὸν παῖδα παραλαμβάνουσιν, οὓς ἐκεῖνοι βασιλείους παιδαγωγοὺς ὀνομάζουσιν. εἰσὶ δὲ ἐξειλεγμένοι Περσῶν οἱ ἄριστοι δόξαντες ἐν ἡλικίᾳ τέτταρες. ὅ, τε σοφώτατος καὶ ὁ δικαιότατος, καὶ ὁ σωφρονέστατος, καὶ ὁ ἀνδρειότατος, ὧν ὁ μὲν μαγείαν τε διδάσκει τὴν Ζωροάστρου τοῦ Ὡρομάζου. ἔστι δὲ τοῦτο θεῶν θεραπεία. διδάσκει δὲ καὶ τὰ βασιλικά. *Anno decimo quarto puerum suscipiunt hi, quos Regios pædagogos appellant. Sunt ii ex omnibus Persis ea ætate electi præcipuiq; quatuor, sapientissimus, justissimus, temperantissimus, aque fortissimus aliquis vir. Quorum primus Magicam Zoroastri Oromazi filii docet; (est autem illa Deorum cultus) atque idem tradit instituta Regia.*

XXII. Porro Magos futura prædixisse tradit Cicero, quando lib. I. de Divinatione num. XC. *In Persis,* ait, *augurantur & divinant Magi; qui congregantur in fano, commentandi causa atque inter se colloquendi.* Idem Cicero specimen quoddam Magicæ prædictionis affert memorato loco num. XLVI. *Quid ego,* inquiens, *quæ Magi Cyro illi Principi interpretati sunt, ex Dionysii Persici libris proferam? Nam cum dormienti ei Sol ad pedes visus esset, ter eum scribit frustra appetivisse manibus, cum se convolvens Sol elaberetur & abiret: ei Magos dixisse, quod genus sapientum & doctorum habebatur in Persis, ex triplici appetitione Solis, triginta annos Cyrum regnaturum esse, portendi. Quod ita contigit. Nam ad septuagesimum pervenit, cum quadraginta natus annos regnare cœpisset.* Gemina leguntur apud Ælianum lib. II. variarum Historiarum, cap. XVII. quod ita habet: *Persicorum Magorum sapientia tum alia tenuit, quæ ipsis scire fas esset, tum etiam vaticinan-*

di scientiam calluit. Hi ergo prædixerunt etiam Ochi sævitiam adversus subditos, & ingenium cædis avidum, quum id ex signis de eo cognovissent. Nam quum, Artaxerxe patre vita defuncto, regnum Persarum Ochus capesseret, Magi cuidam ex Eunuchis præceperunt, ut, posita mensa, animum adverteret, quibus rebus ex objectis Rex primum manus injiceret. Qui cum oculos ad hoc intentos haberet, Ochus, utraque manu protensa, dextra unum ex adjacentibus cultris arripuit, altera maximum panem accepit, quem carnibus impositum scidit, & alacriter comedit. Quibus auditis Magi hæc duo vaticinati sunt, anni tempestivam fertilitatem atque annonæ copiam, illo regnante, & cædium frequentiam portendentes. Neque falsi fuerunt. Eadem repetit Cœlius Rhodiginus lib. XIII. Lect. antiqu. cap. XXXIX. Etiam Valerius Maximus testis est, Magos de prodigiis & portentis fuisse consultos, dum, de Xerxe loquens lib. I. cap. VI. Extern. I. *Priusquam Athenas deleret*, inquit, *Lacedæmonis invadendæ consilium agitanti admirabile inter cœnam prodigium incidit. Infusum namque pateræ ejus vinum, nec semel, sed iterum ac tertio in sanguinem versum est. Qua de re consulti Magi, monuerunt, ut ab incepto abstineret.* Atque hinc Lucianus ἐν μακροβίοις Magos vocat γένος μαντικὸν καὶ θεοῖς ἀνακείμενον. Confer præterea Strabonem lib. XVI. Plinium lib. XXIV. cap. XVII. item Vellejum Paterculum lib. II. ubi Magos etiam ex notis corporis prædixisse scribit.

XXIII. Cuncta hæc, sicut & totam Magorum doctrinam, paucis complectitur Diogenes Laërtius, quando in procemio librorum de vitis Philosophorum memorat, *Magos Deorum vacare cultui, & preces illis ac vota & sacrificia, quasi soli ab iis exaudiantur, offerre; de Deorum substantia & generatione disserere, quos, item ignem, terram & aquam esse arbitrentur; signa statuasque reprehendere, & eorum inprimis, qui mares esse Deos ac feminas dicunt, errores improbare; de justitia verba facere, iniquumque arbitrari atque impium, igni sepelire; justum, matri ac filiæ misceri; divinationem præterea prædictionemque exercere, sibi Deos apparere asserentes: plenum esse Dæmonibus aëra, qui tenuiter ac veluti ex evaporatione cernentium oculis influant; exteriorem cultum & auri usum interdicere.*

cere. Hæc Laërtius; qui mox de eorundem victu & amictu: *bis*, inquit, *vestis candida; lectus, humus; esca, olus, caseus, panisq; cibarius est. Arundine*, pergit, *pro baculo utuntur; cujus in summitate præfixum caseum ori applicantes mandunt.* Certe Magorum sobrietatem & abstinentiam S. quoque Hieronymus prædicat, quando lib. II. adversus Jovinianum in hunc modum scribit: *Evbulus, qui historiam Mithræ multis voluminibus explicuit, narrat apud Persas tria genera Magorum; quorum primos, qui sint doctissimi & eloquentissimi, excepta farina & olere nihil amplius in cibo sumere.* Eodem modo Clemens Alexandrinus lib. III. Strom. cap. V. *Magis*, inquit, *curæ est, simul a vino, & animatis, & a rebus abstinere venereis.* Idem tamen Clemens eodem libro cap. I. confirmat, qvod de Magis Diogenem asserere paulo ante audivimus, nempe apud eos fas esse matribus ac filiabus misceri. *Coëunt*, scribit, *Magi cum matribus & filiabus, & fas esse* ducunt, *coire cum sororibus, & communes esse uxores, non vi aut clam, sed utrisque consentientibus, cum velit alter ducere uxorem alterius.* Ita Clemens ex Xantho. Sed ad Diogenem Laërtium revertamur. Narrat ille porro ex Aristotele lib. I. de Philosophia, Hermippo lib. I. de Magis, Evdoxo ἐν τῇ περιόδῳ, Theopompo lib. IIX. Philippicorum, & Evdemo Rhodio, Magos duo principia statuisse, bonum Dæmonem & malum; illumque *Jovem* & *Oromasdem*, hunc *Ditem* ac *Arimanium* appellasse: censuisse præterea, homines quandoque revicturos immortalesque futuros, & universa illorum precationibus consistere: item credidisse, Deos esse genitos. Amplius subjungit, eos, qui de Magorum disciplina scripserant, Herodotum mendacii insimulasse. Neque enim jacula in Solem misisse Xerxem, ut ille memoriæ prodidit, nec compedes mari injecisse; propterea quod a Magis Numinum loco Sol & Aqua colerentur. Sic Laërtius; cujus narrationi alii Autores suffragantur. Epiphanius lib. III. contra Hæreses: *Apud Persas*, inquit, *illi qui Magusæi appellantur, simulacra quidem abominantur, & tamen simulacra adorant, ignem, & Lunam, & Solem.* Clemens Alexandrinus in Oratione exhortatoria ad Græcos: *Persarum Magi ignem coluerunt.*

runt. Et mox: *Quid mihi opus est recensere Sarmatas, quos refert Nymphodorus in lib. de legibus Barbaricis, ignem colere; aut Persas, Medos & Magos? Hos dicit Dinon sacrificare sub dio, solas Deorum imagines ignem & aquam esse putantes.* Vitruvius in præfatione lib. IIX. *Thales Milesius omnium rerum principium aquam est professus; Heraclitus ignem; Magorum Sacerdotes aquam & ignem.* Confer Lucianum in Jove Tragœdo. Atque hinc Tyridatem, qui, Armeniacum de se triumphum adferens, ad Neronem venit, cum Magus esset, navigare noluisse Plinius lib. XXX. cap. II. refert, quoniam *exspuere in maria, aliisque mortalium necessitatibus violare naturam eam, fas non putant.* Denique iis, quæ de gemino Magorum principio affirmat Laërtius, consona scribit Agathias lib. II. quando ait, Persas duo prima rerum omnium principia statuere; unum bonum, & optima quæque gignens; alterum perniciosum ac pessimum. Ac bonum quidem Deum, seu Creatorem, *Oromasdem,* Cacodæmonem vero *Arimanem* ab illis appellari.

XXIV. Quantæ apud Persas existimationis fuerint Magi, ex eo conjectare licet, quod ibidem, asserente Apulejo in Apologia, Magia *inter prima Regalia docta fuit, nec ulli temere inter Persas concessum, Magum esse, haud magis quam regnare;* imo *nec quisquam Rex Persarum potuit esse, qui non ante Magorum disciplinam scientiamque perceperit,* teste Cicerone lib. I. de Divinatione num. XCI. Quo respiciens haud dubie Tertullianus lib. III. adversus Marcionem cap. XIII. *Magos Reges habuit fere Oriens,* inquit; & Plinius lib. XXX. cap. I. *In tantum,* ait, *fastigii* Magia *adolevit, ut hodieque etiam in magna parte gentium prævaleat, & in Oriente Regum Regibus imperet.* Quin & Agathias lib. II. suis etiamnum temporibus Persas summa observantia ac veneratione Magos coluisse; eorum consilio ac vaticiniis omnia publica negotia gesta; de consilii eorum sententia bene de republica meritis præmia decreta, nocentibus contra pœnas irrogatas scribit; proindeque cognitionibus Principum ac magistratuum interfuisse; nec quidquam justum, licitum legitimumve habitum, quod non esset eorum sententiis comprobatum.

tum. Quæ cum ita ſint, non mirum, ad ipſum regnum eos poſt Cambyſis obitum aſpiraſſe, ut narrant Herodotus in Thalia, Cteſias in Perſicis, & Juſtinus lib. I. cap. IX.

XXV. Et hucusque de Perſarum Magis. Ubi tamen, priusquam ad alia progrediamur, monendum ducimus, non ſolis Perſiæ Sapientibus *Magorum* nomen adhæſiſſe, ſed & aliarum gentium Orientalium Philoſophos ita fuiſſe appellatos. Intelligere id eſt ex libro Luciani περὶ μακροβίων, ubi hæc leguntur: οἱ καλούμενοι μάγοι γένος τοῦτο μαντικὸν καὶ θεοῖς ἀνακείμενον, παρά τε Πέρσαις, καὶ Πάρθοις, καὶ Βάκτροις, καὶ Χωρασμίοις, καὶ Αρείοις, καὶ Σάκαις, καὶ Μήδοις, καὶ πολλοῖς ἄλλοις βαρβάροις. Idem indicant verba Plinii lib. XXV. cap. II. quæ ita habent: *Pythagoras, clarus ſapientia, primus volumen de earum* (herbarum) *effectu compoſuit, Apollini, Æſculapioque, & in totum Diis immortalibus inventione & origine aſſignata. Compoſuit & Democritus, peragratis Perſidis, Arabiæ, Æthiopiæ, Ægyptique Magis.* Equidem non neſcio, locum hunc Plinii, prout a nobis recitatus eſt, & in vulgaribus codicibus legitur, de mendo ſuſpectum videri nonnullis, quod non appareat, quo pacto vox *Magi* jungi posſit τοῦ *peragrare*, cum conſtet, huic verbo addi ſolere nomina, quæ (non *perſonas*, ſed) *loca*, aut quippiam analogum, ſignificent; quomodo dicimus: *peragrare regiones, ſylvas, montes, animos.* Verumenimvero nec apud alios Autores deeſſe tales ῥήσεις, quibus verbo *peragrare* aliud vocabulum, quam quod *locum* ſignificet, jungatur, vel ex ipſo Cicerone conſtat, qui in Oratione pro L. Cornelio Balbo num. XVI. ait, Pompeji *res geſtas omnes gentes cum clariſſima victoria terra marique peragraſſe.* Adhuc magis illuſtris & Pliniano per omnia ſimilis eſt ille Hieronymi locus, qui habetur Epiſtola CIII. ad Paulinum: *Legimus in veteribus hiſtoriis, quosdam luſtraſſe provincias, novos adiſſe populos, maria tranſiſſe, ut eos, quos ex libris noverant, coram quoque viderent. Sic Pythagoras Memphiticos vates, ſic Plato Ægyptum, Architam Tarentinum, eamque oram Italiæ, quæ quondam magna Græcia dicebatur, laborioſiſſime peragravit.* Certe phraſin Hieronymi: *peragrare Memphiticos vates*, cum iſta Pliniana: *peragrare*

grare Magos, prorsus coincidere, nemo est qui non videat. Existimamus itaque, vulgarem lectionem verborum Plinii supra a nobis allatorum satis bene sibi constare, nec idoneam suppetere causam, quamobrem emendationem ei adhibere, & pro voce *Magis* aliam substituere velimus. Cæterum de Democrito quod verbis sæpe memoratis asserit Plinius, idem de ipso alibi narrat. Nam lib. xxx. cap. i. de Magica agens: *Animadverto*, inquit, *summam literarum claritatem gloriamque ex ea scientia antiquitus & pene semper petitam. Certe Pythagoras, Empedocles, Democritus, Plato, ad hanc discendam navigavere, exiliis verius quam peregrinationibus susceptis. Hanc reversi prædicavere; hanc in arcanis habuere.* Et lib. xxiv. cap. xvii. de herbis Magicis disserens: *Primi eas in nostro orbe celebravere*, ait, *Pythagoras atque Democritus, consectati Magos.* Ibidem, paucis interjectis, Democritum *post Pythagoram Magorum studiosissimum* appellat. Assentit Clemens Alexandrinus, qui de Democrito verba faciens lib. i. Strom. cap. vi. *Adiit Babylonem*, scribit, *Persidem & Ægyptum, Magorum & Sacerdotum se præbens discipulum.* Eadem habet Eusebius lib. x. Præpar. Evangel. cap. ii. Confer Ælianum lib. iv. Variarum Historiarum cap. xx. Sed satis de Plinii testimonio; cui nunc addimus, quod etiam in versione Græca & vulgata Latina Prophetæ Danielis Chaldæorum Sapientes *Magi* appellentur. Nimirum cap. ii, 2. ita legitur: καλέσαι τοὺς ἐπαοιδοὺς καὶ Μάγους; *ariolos & Magos* vertit vulgatus. Eodem capite, vers. 27. hæc habentur verba: Ἀπεκρίθη Δανιὴλ ἐνώπιον τοῦ βασιλέως, καὶ εἶπε, τὸ μυστήριον, ὃ βασιλεὺς ἐπερωτᾷ, οὐκ ἔστι σοφῶν, Μάγων, ἐπαοιδῶν, γαζαρηνῶν, ἀναγγεῖλαι τῷ βασιλεῖ. Vulgatus reddit: *Respondens Daniel coram Rege, ait: mysterium, quod Rex interrogat, sapientes, Magi, & arioli, & aruspices, nequeunt indicare Regi.* In Hebræo extat vox אָשְׁפִין אַשָּׁפִים, quæ honestissima est, & *sapientiæ operantes, Philosophos, Astrologos*, significat. Hieronymus in supra adductum vers. ita commentatur: *Quos nos hariolos, cæteri* ἐπαοιδοὺς *interpretati sunt, id est, incantatores. Ergo videntur mihi incantatores esse, qui verbis rem peragunt; Magi, qui de singulis philosophantur; Malefici, qui sangui-*

sanguine utuntur & victimis, & sæpe contingunt corpora mortuorum. Porro in Chaldæis γενεθλιαλόγυς significari puto, quos vulgus Mathematicos vocat. Consuetudo autem & sermo communis Magos pro maleficis accipit: qui aliter habentur apud gentem suam, eo quod sint Philosophi Chaldæorum, & ad artis hujus scientiam Reges quoque & Principes ejusdem gentis omnia faciunt.

XXV. Etiam Arabum Sapientes *Magos* in sacro codice appellari nonnulli ex Matth. II, I. colligunt. Existimant nimirum, Magos, qui, ut recens natum Judæorum Regem adorarent, ab Oriente Ierosolymam profecti ibidem dicuntur, venisse ex Arabia Felice. Cui sententiæ inprimis gratiam conciliare videtur, quod munera, quæ Magi puerulo Jesu obtulerunt, partim Arabia sola suppeditat, partim tam ubere proventu, quam ulla alia regio. De thure & myrrha Plinius lib. XII. sub finem cap. XIII. & initium cap. XIV. *Principalia*, scribit, *in illa* (Arabia felice) *thus & myrrha. Hæc & cum Troglodytis communis: thura præter Arabiam nullis, ac ne Arabiæ quidem universæ.* Confer cap. XV, XVI. & lib. VI. cap. XXIIX. ubi: *Sabæi*, inquit, *Arabum propter thura clarissimi.* De iisdem Virgilius lib. I. Georgicorum:

India mittit ebur; molles sua thura Sabæi.

Adde Jer. VI, 20. Es. LX, 6. I. Reg. X, 2. II. Paral. IX, I. ex quibus locis simul intelligitur, Arabiam aurum ferre non levi copia; id quod etiam Plinius jamjam laudato lib. VI. cap. XXIIX. testatur, quando refert, *Sabæos ditissimos* esse *sylvarum fertilitate odorifera, auri metallis, agrorum riguis, mellis ceræque proventu.* Aliis tamen secus de iis Magis, quorum apud Evangelistam habetur mentio, videtur. Negant videlicet, illos ex Arabia felice advenisse, quod Matthæo dicantur venisse ἀπὸ ἀνατολῶν, *ab Oriente*; Arabia autem Palæstinæ non *orientalis* sit, sed *meridionalis*, adeo ut Regina Sabæ Matth. XII, 42. & alibi βασίλισσα νότυ, *Regina austri* dicatur. Nos unumquemque suo heic abundare sensu permittimus. Interim, quod ad situm Arabiæ attinet, dicimus: quanquam ea, respectu Palæstinæ, &, quæ hujus est metropolis, Ierosolymæ, ad austrum sive meridiem vergat, non

tamen

tamen ita vergere, ut ſub iiſdem meridianis & omnis Arabia, & omnis Palæſtina contineatur; ſiquidem iſte meridianus, quo Palæſtina ſubmovetur ab iis plagis, quæ cum illa ſub eodem climate ſunt, Arabiæ felicis vix ullam partem ſtringat; adeoque ſic eſſe ſitam, ut, ſi ἀκρίβειαν γεωγραφικὴν paululum negligere velis, tum ad orientem, tum ad auſtrum vergere dici poſſit. Cum ergo notum ſit, ſacras literas de locorum ſitu non minus, quam de aliis rebus, ſæpe κατὰ πλάτος loqui (ſic Pſ. CVII, 3. Eſ. XLIX, 12. per *mare*, mediterraneum puta, plaga auſtralis reſpectu Ieroſolymorum deſignatur; Jer. I, 14. ſeq. qui Babylone veniunt in Palæſtinam, *ab aquilone* ſeu *a ſeptentrione* venire dicuntur. Confer cap. III, 18. XLVI, 24. Zach. II, 6. VI, 6. imo Jer. L, 3. Perſia reſpectu Babylonis dicitur ad aquilonem vergere: quæ ſane ſecundum rigorem Geographicum accipi non poſſunt) quid obſtat, quo minus dicamus, Scripturam per eos, qui ἀπὸ ἀνατολῶν venerunt Ieroſolymam, intelligere Arabas? Sed hæc obiter. Et tantum etiam de Magis.

XXVI. Sequuntur INDI, quorum Philoſophi GYMNOSOPHISTÆ dicti, quod *nudi perhibentur philoſophari in ſolitudinibus Indiæ*, ut ſcribit Auguſtinus lib. XV. de Civitate Dei cap. XX. cum quo confer lib. XIV. cap. XVII. ubi: *per opacas*, inquit, *Indiæ ſolitudines cum quidam nudi philoſophentur, unde Gymnoſophiſtæ nominantur; adhibent tamen genitalibus tegumenta, quibus per cætera membrorum carent.* De iſtis Indorum Sapientibus ita diſſerit Apulejus in Floridis: *Eſt gens apud* Indos *præſtabilis. Gymnoſophiſtæ vocantur. Hos ego maxime admiror; quod homines ſunt periti, non propagandæ vitis, nec inoculandæ arboris, nec proſcindendi ſoli. Non illi norunt arvum colere, vel aurum colare, vel equum domare, vel taurum ſubigere, vel ovem vel capram tondere vel paſcere. Quid igitur eſt? Unum pro his omnibus norunt: ſapientiam percolunt, tam magiſtri ſenes, quam diſcipuli minores. Nec quidquam apud illos æque laudo, quam quod torporem animi & otium oderunt. Igitur, ubi menſa poſita, priusquam edulia apponantur, omnes adoleſcentes ex diverſis locis & officiis ad dapem conveniunt. Magiſtri perrogant, quod factum a lucis ortu ad illud diei bonum fecerit.*

fecerit. Hic alius se commemorat inter duos arbitrum delectum, sanata simultate, reconciliata gratia, purgata suspicione, amicos ex infensis reddidisse: inde alius, sese parentibus quidpiam imperantibus obedisse: & alius, aliquid meditatione sua reperisse, vel alterius demonstratione didicisse. Denique ceteri commemorant. Qui nihil habet adferre cur prandeat, impransus ad opus foras extruditur. Ita Apulejus, &, qui ad illum provocat, Cœlius Rhodiginus lib. XI. Lect. antiqu. cap. I. Plinius lib. VII. cap. II. de Gymnosophistis scribit, eos *ab ortu ad occasum præstare (perstare*, legunt alii) *contuentes Solem immobilibus oculis; ferventibus harenis toto die alternis pedibus insistere.* Similia leguntur apud Solinum cap. LV.

XXVIII. Hi Indiæ Gymnosophistæ duplices erant; quorum alii *Brachmanes* dicebantur, alii *Germanes*, uti scribit Strabo lib. XV. ubi etiam asserit, præstare Brachmanes alteris, quod eorum decreta magis sint consentanea. *Hi*, inquit, *quamprimum concepti sunt, viros doctos curatores habent, qui & matri & concepto accedentes, in speciem quidem incantando proli ac matri felicitatem conciliant, sed revera quædam continentiæ præcepta dant. Matres, quæ libenter eos audiant, eo feliciores prole futuras existimant. Postquam vero nati sunt, alios atque alios curatores sortiuntur: nam quo magis ætas adolescit, tanto elegantiores magistri succedunt.* Mox idem autor subjungit, jamjam nominatos Indorum Philosophos ante urbem in luco degere, frugaliter vivere, super toris ac pellibus jacere, animalibus ac Venere abstinere. Seriis sermonibus intentos esse, & cum discendi cupidis communicare; auditori autem eorum nec loqui licere, nec screare, aut exspuere, alioqui diem illam cœtu excludi, ut incontinentem. Et cum triginta ac septem annos sic vixerint, in sua secedere, & laxius licentiusque vivere, sindonem induere, aurum in manibus ac auribus moderate gestare, carnibusque vesci animalium, quæ hominum opera non adjuvant; ab acribus & condimentis abstinere; quam plurimas ducere uxores, multiplicandæ prolis gratia. Addit, Brachmanas cum uxoribus non philosophari, ne, si improbæ sint, aliquid, quod efferri

ri nefas fit, in profanos efferant; fi probæ, viros relinquant. Nam qui voluptatem ac dolorem, vitam ac mortem, æque contemnat, fubditum effe alteri nolle; hujusmodi autem effe probum & probam. Plurimas eorum de morte difputationes effe. Nam hanc vitam habendam effe, quafi recens conceptorum hominum ftatum; mortem vero γένεσιν in veram illam & felicem vitam, iis qui recte philofophati fint: propterea eos multa exercitatione fe ad mortem præparare. Nihil eorum, quæ hominibus accidere dicuntur, bonum effe vel malum: neque enim futurum, ut iisdem e rebus alii moleftiam, alii gaudium caperent, utque iidem interdum angerentur, interdum immutati gauderent. Eorum vero, quæ ad naturæ cognitionem pertinent, quædam ftultitiam ab eis cenferi, ut qui factis quam verbis malint fe bonos demonftrare. In multis cum Græcis fentire, ut, quod mundus fit ortus & interiturus, & fphæricus; quodque conditor & adminiftrator ejus Deus univerfum eum pervadat; quod univerfarum rerum primordia diverfa fint, mundi autem aqua; quodque præter quatuor elementa quinta quædam natura fit, ex qua cœlum aftraque conftent; quod terra in medio univerfi fita fit. De immortalitate animæ, de judiciis quæ apud inferos fiunt, aliisque hujusmodi non paucis, gemina his quæ Plato tradidit, eos docere. Sic de Brachmanis Strabo. Idem mox fubjungit, *Hylobios*, qui inter Germanes præcipui, in fylvis degere; e frondibus & fylveftribus fructibus vivere, veftem ex arborum corticibus habere, vini & Veneris expertes effe. Proximos ab iftis Hylobiis effe Medicos, frugales quidem & ipfos, non tamen fub dio agentes, oryza & farina viventes, quæ nemo non rogatus iis largiatur. Poffe eos & fœcundos facere, & marium feminarumque procreationem medicamentis præftare. Amplius refert Strabo, Ariftobulum duos vidiffe Sophiftas e Taxilis, utrosque Brachmanes; alterum feniorem tonfum, alterum juniorem comatum; utrumque difcipulis comitatum. Iis honorem hunc habitum, ut, quicquid ex rebus venalibus vellent, id gratis in foro aufferre liceret. Tolerantiam porro

eos

eos docuiſſe ait, adeo ut ſenior ſupinus & Solem & imbres pertulerit, junior vero in altero pede ſtans lignum tricubitale ambabus manibus ſublatum ſuſtentarit, atque ſic totum diem perſeveraverit. Narrat inſuper Strabo, Alexandrum, cum audiviſſet, Sophiſtas nudos incedere, tolerantiam exercere, & in honore maximo hâberi; ad alios autem, ſi vocarentur, non ire, ſed jubere, ut ad ſe venirent, ſi, quid agerent dicerentve, cognoſcere vellent; miſiſſe Oneſicritum, ut ſermones cum iis communicaret. Hunc itaque, ubi eos acceſſiſſet, & alium ſtantem, alium ſedentem, alium jacentem inveniſſet, allocutum fuiſſe unum ex iis, cui nomen Calano, eique, qua de cauſa illuc veniſſet, aperuiſſe. At Calanum, cum chlamydem, & cauſiam, ac crepidas indutum conſpexiſſet, riſu ſublato ita fatum: *Olim omnia plena erant triticeæ & hordeaceæ farinæ, ut nunc pulveris. Fontes alii lacte, alii aqua fluebant, nonnulli melle, alii vino, quidam oleo. Homines autem ob ſatietatem ac luxuriam ad contumeliam ſe tranſdiderunt. Jupiter itaque, præſentem ſtatum exoſus, omnia abolevit, & vitam per laborem degendam inſtituit. Tunc, Temperantia & virtutibus cæteris in medium prodeuntibus, rurſum bonorum copia facta eſt. Nunc jam res pene ad ſaturitatem contumeliamque rediit, ac periculum eſt, ne rerum omnium interitus impendeat.* Quæ cum dixiſſet, juſſiſſe, ut, ſi quid audire vellet, eo habitu depoſito, ſuper iisdem lapidibus nudus jaceret. Sed Mandanim, qui cæteros Sophiſtas ætate pariter & ſapientia anteibat, Calanum eo nomine objurgaſſe, cumq; Oneſicritum ad ſe vocaſſet, verba ad ipſum feciſſe, quorum hæc ſumma fuerit: *eam eſſe optimam doctrinam, qua voluptatem moleſtiamque animo eximeret; moleſtiam a labore differre, quod illa ei eſſet inimica, alter vero amiciſſimus. Ipſos corpora ad laborem exercere, ut mentes confirmentur; quibus motus ſedentur, & bona omnibus conſulendi publice privatimque facultas adeſſet.* Poſthæc interrogaſſe: num talia apud Græcos etiam docerentur? cumque reſpondiſſet ipſe: eadem Pythagoram docere, qui ab animalibus abſtinere jubeat; tum Socratem quoque & Diogenem; ſubdidiſſe Mandanim: eos quidem de cæteris rebus prudenter ſentire, in uno autem

errare, quod legem anteponant naturæ; siquidem ipsos puderet nudos degere, & tenui victu esse contentos. Subjunxisse deinde, multa se de natura, de signis, de imbribus, de siccitatibus, de morbis denique inquirere.

XXIX. Strabonis narrationi junge, quæ habet Clemens Alexandrinus lib. I. Strom. cap. VII. ubi, de Gymnosophistis loquens: *Duplex erat illorum genus*, inquit; *alii Sarmanæ* (Straboni *Germanes*) *alii Brachmanæ dicuntur. Et inter Sarmanas sunt Allobii* (ex Strabone reponendum *Hylobii*) *qui nec urbes colunt, nec sub tectis hab*[illegible]*t, sed arborum tantummodo corticibus vestiuntur, & glandes a*[illegible]*umque baccas comedunt, & aquam bibunt manibus. Non nuptias, non liberorum norunt procreationem.* Idem Clemens lib. III. cap. VI. *Brachmanes*, ait, *neque animatum comedunt, neque vinum bibunt; sed aliqui quidem ex iis quotidie, sicut nos, cibum capiunt: nonnulli autem ex iis tertio quoque die, ut ait Alexander Polyhistor libro de rebus Indicis. Mortem autem contemnunt, & vivere nihili faciunt: credunt enim, esse regenerationem. Aliqui autem colunt Herculem & Panem. Qui autem ex Indis vocantur σεμνοὶ, hoc est, honesti ac venerandi, nudi totam vitam transigunt. Ii veritatem exercent, & futura prædicunt, & colunt quandam pyramidem, sub qua existimant alicujus Dei ossa reposita. Neque vero Gymnosophistæ, nec qui dicuntur σεμνοὶ, id est, venerandi, utuntur mulieribus: hoc enim præter naturam & iniquum esse existimant: qua de causa seipsos castos conservant.* Adde Eusebium, qui lib. VI. Præpar. Evang. cap. IIX. ita scribit: *Apud Indos & Bactros multa millia hominum sunt, qui Brachmanes appellantur. Ii, tam traditione patrum, quam legibus, nec simulacra colunt, nec animatum aliquid comedunt; vinum aut cerevisiam nunquam bibunt; ab omni demum malignitate absunt, soli DEO attendentes.* Hieronymus Comm. in Ezech. XIII, 17. *Indorum*, inquit, *Brachmanes ob victus continentiam miraculum sui gentibus tribuunt.* Curtius vero lib. IIX. de Indorum Philosophis hunc in modum loquitur: *Unum agreste & horridum genus est, quos Sapientes vocant. Apud hos, occupare fati diem, pulchrum; & vivos se cremari jubent. Quibus aut segnis ætas, aut incommoda valetudo est,*

est, exspectatam mortem pro dedecore vitæ habent. Nec ullus corporibus, quæ senectus solvit, honos redditur. Inquinari putant ignem, nisi qui spirantes recipit. Illi, qui in urbibus publicis moribus degunt, siderum motus scite spectare dicuntur, & futura prædicere. Nec quemquam admovere lethi diem credunt, cui exspectare interrite liceat. Deos putant, quidquid colere cœperunt; arbores maxime, quas violare capitale est. Menses in quinos denos descripserunt dies. Anni plena spatia servant. Lunæ cursu notant tempora, non, ut plerique, cum orbem sidus implevit, sed cum se curvare cœpit in cornua: & idcirco breviores habent menses, qui spatium eorum ad hunc Lunæ modum dirigunt. Tandem annectimus, quæ de Brachmanum & Samanæorum auctoritate & disciplina Porphyrius, lib. IV. de Abstinentia, ex Bardesane, viro Babylonio, refert. Ejus verba ita habent: *Indorum respubl. in multas partes est dissecta; apud quos est genus quoddam Philosophorum, quos Græci Gymnosophistas solent appellare. Horum duæ sunt sectæ, & utriusque sui antistites, Brachmanes hujus, & Samanæi alterius. Sed Brahmanes a majoribus, veluti Sacerdotium per manus traditum, talem divinam sapientiam recipiunt: Samanæi vero inter suos deliguntur, atque ex volentibus divinam sapientiam audire complentur. Sunt autem ejusmodi, quæ de ipsis narrantur, ut scripsit Bardesanes, vir Babylonius, tempore natus patrum nostrorum, & fortuna cum illis, qui ex finitima Damadamidis regione ad Cæsarem venerunt Indi. Omnes enim Brachmanes ex una stirpe sunt oriundi, siquidem ex uno patre unaque matre omnes descendunt: Samanæi vero non sunt ex Brachmanum genere, sed ex omni Indorum gente, ut diximus, sunt delecti. A nemine itaque Brachman imperatur, neque quicquam aliis contribuit. Horum Philosophorum bona pars in montibus, reliqui circa Gangem fluvium habitant. Montani vero vescuntur pomis inter æstatem & autumnum provenientibus, & lacte bubulo herbis coagulato: qui vero circa Gangem habitant, prædictis fructibus, qui copiose circa fluvium nascuntur. Fert autem ipsa regio fere semper recentem fructum, quin etiam multam oryzam & sponte natam, qua utuntur, cum fructus alii deficiunt. Cæterum alio alimentorum genere uti, vel omnino escam tangere animatam, non secus ac ultimæ impuritatis & impietatis lineæ manum ad-*

admovere reputatur. Hoc inter alia præcipuum decretum: religiose Deum colendum esse, & seipsos sanctificationibus purificandos: quare maximam diei & noctis partẽ distribuunt in laudes & preces Deorum, reliquam in suis tuguriis transigunt, quorum singuli unum sibi proprium maxime delegerunt. Communiter enim manere Brachmanes non tolerant, neque multum interloqui; quod si acciderit, non dubitant per plures dies sepositi omnino vocem supprimere. Sæpissime etiam jejuniis se macerant. Samanæi vero sunt, ut diximus, e singulis familiis delecti. Cum primum ergo aliquis in ordinem inscribi conatur, ad civitatis primates accedit, qui, comperta urbis, pagi & possessionum conditione, de omnium ejus facultatum statu dimovent. Itaque novitius, toto corpore a supervacancis liberatus, amictum in talos demissum accipit, & ad Samanæos discedit, neque tamen ad uxorem, neque ad liberos, si forte habuerit, se convertit, neque de illis rationem ullam habet, totus apud se contendens: curam autem liberorum Rex suscipit, ut pro modulo facultatum illis suppeditentur necessaria; curam vero uxoris familiares. Vita autem Samanæorum est hujusmodi; extra urbem habitant, diem totum exercentes in colloquiis de Deo: habent autem domos & templa Regiis sumptibus ædificata, in quibus sunt œconomi, seu rerum domesticarum curatores, qui recipiunt a Rege in curam & impensam conventus destinata. Apparatus autem ille totus consistit ex oryza, pane, fructibus horariis, & oleribus. Itaque, tintinnabulo signum dante, omnes in domum properant, ex qua bona pars Samanæorum non egreditur, reliqua precibus occupata. Ubi vero preces absolutæ, rursus tintinnabulum pulsatur; quo audito, ministri singulis catinum donant. Sunt enim duo, qui interea non comedunt, ciborum ex oryza ministerio occupati. Atque pro tota varietatis necessitate nonnihil ex fructibus & oleribus mensis apponitur. Tandem compendiose cibati exeunt quisque in sua exercitamenta. Sunt autem omnes sine uxoribus & sine possessionibus. Cæterum reliqua gens Indorum erga ipsos & Brachmanes tanto cultu est affecta & tanta pietate, ut Rex ad eos plerumque consilii inops supplexque accedat, ut eorum precibus & consilio, quid sit agendum, doceatur, vel super hostibus, vel aliis regionem occupantibus. Ipsi vero ita ad mortem sunt dispositi, ut totum vitæ tempus, tanquam neces-

necessariam quandam naturæ administrationem, sponte tolerent, atque ad animæ solutionem e corporibus properent. Plerumque etiam, cum se recte habere viderint, nullo malo urgente neque impellente, e vita discedunt: quanquam illud non nisi prius aliis præmonitis faciant, in quorum numero non est qui impediat: quo fit, ut omnes apud suos felicitatem defuncti commendent, innocentes in mortuorum aliquem: ita firmam & veram animabus vivendi inter se rationem ipsi & multi alii sibi persuaserunt. Postquam vero audiverint sibi mandata, corpus igni committunt, ut puriorem secernant animam a corpore, atque laudibus eximiis accumulent. Facilius enim ad mortem illos impellunt amici, quam cives in longinquas peregrinationes aliorum hominum singuli. Hos ipsos quidem, dum in vita permanent, lugent; eosdem vero vita functos felices prædicant, velut immortalitatis sedem sortitos. Hactenus Porphyrius. Confer etiam Cœlium Rhodiginum Lect. antiqu. lib. XIII. cap. XXV. lib. XIIX. cap. XXXI.

XXX. Gymnosophistas sapientiæ nomine claruisse, etiam inde conjicere licet, quod Alexander M. cum decem eorum cepisset, obscuras illis difficilesque quæstiones proposuit, necem denuncians ei qui minus apte respondisset. Ex his primus, interrogatus: vivosne plures esse an mortuos censeret? vivos, ait: neque enim jam esse eos qui mortui sunt. Secundus, quæsitus: terra an pelagus grandiores gigneret beluas? terra, respondit, utpote cujus portio pelagus est. Tertius, rogatus: quodnam animal callidissimum esset? quod hactenus, inquit, homo non cognovit. Quartus, requisitus: quamobrem Sabbam, Principem suum, ad rebellionem concitassent? responsum dedit: ut vel honeste viveret, vel male periret. Quintus, interrogatus: diem an noctem putaret fuisse priorem? diem, ait, novo die. Cumque isthanc responsionem Rex miraretur, adjecit: intricatarum quæstionum intricatas esse oportere responsiones. Sextus, quæsitus: quemadmodum quis maxime se efficiat charum? si potentissimus, inquit, nec formidabilis esset. Septimus, rogatus: quo pacto ex mortali quis Deus evadat? si quid fecerit, ait, quod facere denega-

tum

tum ſit homini. Octavus, de vita & morte, utra valentior, quæſitus: vita, reſpondit, tam multa tolerans mala. Nonus, interrogatus: quouſque homini bene ſit vivere? quouſque, inquit, non exiſtimet melius eſſe mori quam vivere. Tandem Alexander converſus ad decimum, qui judex erat conſtitutus, ſententiam eum pronunciare juſſit. Qui cum alium alio dixiſſet pejus reſpondiſſe: ergo tu, inquit Rex, primus moriere, qui ita decernis. At ille: minime vero, ait, niſi tu mentiaris, qui primum dixiſti interfecturum te illum, qui peſſime reſpondiſſet. Narrat hæc Clemens Alexandrinus lib. vi. Strom. cap. i. in quem commentans Gentianus Hervetus: *De iis quæstionibus*, inquit, *quas* Gymnoſophiſtis *propoſuit Alexander, Rex Macedonum, vix apud alium invenies, quam noſtrum Clementem, qui multos legit authores, qui noſtris non extant temporibus.* At vero eadem, quæ hac de re annotat Clemens, iiſdem pene verbis in Alexandro ſuo refert Plutarchus; qui & hodie a nobis legitur, & ante Clementem ſcripſit, uti notum eſt.

XXXI. Unum adhuc monemus; nempe, non Indorum tantum, ſed & Æthiopum Sapientes *Gymnoſophiſtas* fuiſſe appellatos. Philoſtratus quippe, in vita Apollonii, Gymnoſophiſtas in Æthiopia ad Nilum amnem ponit. Ad hujus libros provocans Hieronymus Epiſt. ciii. ad Paulinum: *Apollonius*, inquit, *reverſus Alexandriam, perrexit Æthiopiam, ut Gymnoſophiſtas & famoſiſſimam Solis menſam videret in ſabulo.* Idem Hieronymus Comm. in Ezech. xiii, 17. *Indorum Brachmanes*, ait, *& Æthiopum Gymnoſophiſtæ, ob victus continentiam miraculum ſui gentibus tribuunt.* Ludovicus Vives Comm. in Auguſtini lib. xiv. de Civitate Dei cap. xvii. ita in hanc rem diſſerit: *Origo illorum Philoſophorum* (Gymnoſophiſtarum) *Indica eſt; ubi duo genera Sapientum fuiſſe tradit lib. 16. Strabo: alios, qui in urbibus verſabantur, dictique ſunt civiles, Brachmanas vocant. Hi ſindonibus & pellibus corpus velabant, ſicut idem teſtatur Strabo. Philoſtratus illos narrat denudaſſe ſe, ut cum Apollonio lavarent; & ex eis unum epiſtolam ſinu prolatam matri dediſſe adoleſcentis, cujus filius Dæmonicus intemperiis exagitabatur. Erant alii in eadem*

terra

terra Philosophi in sylvis degentes, nudi, foliis interdum & arborum corticibus intecti; quos Hermanos & Gymnosophistas nominant; e quibus Gymnosophistæ Æthiopici manarunt. Nam accolæ Indi fluvii maxima & validissima manu in Æthiopiam narrantur migrasse, ibiq; juxta Nilum sedes habuisse, eamque regionem etiam Indiam vocatam, & Sapientes philosophatos nudos utrobique dictos Hermanos, & a Græcis γυμνοσοφιςὰς, illudque de subligaculis promiscuum esse in India Æthiopiaque Sapientum, & fere vulgi. Et hæc quoque de Indorum Philosophis.

XXXII. Sequuntur GALLI sive CELTÆ; apud quos Philosophiam docuerunt DRUIDÆ & SEMNOTHEI, uti apud Laërtium, initio operis, testatur Aristoteles in Magico, & Sotion lib. XXIII. τῆς διαδοχῆς. Et *Druidas* quidem Plinius existimat ita appellatos ἀπὸ τῆς δρυὸς, quod est, *quercus*. Sic enim lib. XVI. cap. XLIV. scribit: *Nihil habent Druidæ (ita* Galli *suos appellant Magos) visco, & arbore, in qua gignantur (si modo sit robur,) sacratius. Jam per se roborum eligunt lucos; nec ulla sacra sine ea fronde conficiunt: ut inde appellati quoq; interpretatione Græca possint Druidæ videri.* Eandem originationem assignat Conradus Celtes Protucius, primus Germaniæ Poëta, in urbis Nurembergæ descriptione cap. III. cujus verba, quia non tantum nominis *Druidarum* ἔτυμον, verum etiam habitum & transmigrationem eorum continent, huc transscribemus. Ita vero habent: *Genus illud Philosophorum apud Gallos Græcanice viventium erat, quos ἀπὸ τῆς δρυὸς, i. e. a quercubus, nominavere: inter quas ut (sicuti & Abrahæ, & Gedeonis quercus testis est) oracula antiquitus effundi credebantur: ita illi veluti oraculorum, sortium, fulminumque (quorum illa arbor obnoxia) interpretes tales consedebant, quales nudius vidimus, dum Joannes Theophilus, vir summa eruditione & ingenio, nos in patriam suam ad radices Piniferi secum adduceret. Hic dum forte in cœnobium divertissemus, lapideas imagines sex, vetustissimo in saxo ad fores templi parieti insertas, conspeximus. Septem pedum singulæ, nudis pedibus, capita intectæ Græcanico pallio, & cucullato, perulaque, & barba ad inguina usq; promissa, & circa naris fistulas bifurcata: in manibus liber, & baculus Diogenicus,*

nicus, severa fronte, & tristi supercilio, obstipo capite, figentes lumina terris. Hi quondam apud Gallos (sive interpretandæ religionis, sive solitudinis gratia, quo expeditiores inquirendis rerum causis essent) in nemoribus & saltibus consedere, multitudinemque vulgi ad se pellexere. Postea autem quam Tiberius Cæsar ipsos propter factiones (quarum duces erant) Galliis excedere jussisset, illi in Germaniam commigràvere, & sub Carolis, Arnolphis, & Othonibus, Christianam religionem interpretantes, totam Hercyniam in amœnis ac irriguis vallibus, aprorum & cervorum saltibus, sub annosis & nigris quercubus (a quibus cœnobiorum suorum nomina sunt) occupavere.

XXXIII. Juxta Strabonem lib. iv. Gallorum Sapientes triplices sunt: *Bardi, Vates, & Druidæ. Bardi*, inquit, *hymnos canunt, carminaque conficiunt; Vates sacra curant, naturamque rerum explicant; Druidæ præter naturalium scientiam etiam de moribus disputant.* Diodorus Siculus lib. v. Bibliothecæ historicæ ita scribit: *Sunt apud eos Poëtæ, quos Bardos vocant. Hi ad instrumenta, lyris non dissimilia, aliorum laudes, aliorum vituperationes decantant. Philosophi etiam quidam sunt & Theologi, eximio in honore habiti, quos Saronides appellant. Sunt & Vates magnæ apud eos existimationis. Hi ab auspiciis & victimarum extis de futuris prædicunt, omnemque plebem dicto audientem habent. Absque Philosopho autem nemini sacrum facere fas est. Per hos enim, ut divinæ naturæ conscios, & quasi colloquutores, gratiarum sacrificia Diis offerenda; per hos internuncios bona ab iis expetenda censent. Nec in pacis solummodo negotiis, sed etiam in bellis, his maxime, simulque melicis Poëtis auscultant, non modo amici, sed & hostes. Hi inter adversas sæpe acies, dum strictis gladiis & protentis hastis inter se exercitus propinquant, in medium progressi, ac si feras incantamentis cicurarent, prælia dirimunt.* Ubi nonnulli *Saronides*, quos inter Gallorum Philosophos memorat Diodorus, eosdem cum *Druidis* putant, quoniam *quercus* olim σαρὼν vel σαρώνις dicta. Diserte Scholiastes Callimachi ad hymnum in Jovem: Σαρωνίδας. δρῦς. Adde porro Ammianum Marcellinum, qui lib. xv. *Per hæc loca*, ait, *hominibus paulatim excultis, viguere studia laudabilium doctrinarum, inchoata per Bardos, & Eubages*, (hæc vox viris doctis suspe-

ſuſpecta eſt, quippe nemini præterea memorata. Suntque qui e Græco οὐατεῖς, pro quo lectum ſit ουαγεῖς, corruptam conjiciunt) & *Druidas. Et Bardi quidem fortia virorum illuſtrium facta, heroicis compoſita verſibus, cum dulcibus lyræ modulis cantitarunt: Euhages vero ſcrutantes ſeria & ſublimia naturæ pandere conabantur. Inter hos Druidæ, ingeniis celſiores, ut auctoritas Pythagoræ decrevit, ſodalitiis adſtricti conſortiis, quæſtionibus occultarum rerum altarumq; erecti ſunt, & deſpectantes humana, pronunciarunt animas immortales.* De iſtis Pythagoreorũ ſodalitiis, cujus Marcellinus meminit, Juſtinus lib. XX. c. IV. de Pythagora agens, ita ſcribit: CCC. *ex Juvenibus, cum, ſodalitii jure ſacramento quodam nexi, ſeparatam a cæteris civibus vitam exercerent, quaſi cœtum clandeſtinæ conjurationis haberent, civitatem in ſe converterunt, quæ eos, cum in unam domum conveniſſent, cremare voluit. In quo tumultu* LX. *ferme periere; cæteri in exilium profecti.* De iiſdem ſodalitiis Agellius lib. I. cap. IX. *Omnes ſimul,* ait, *qui a Pythagora in cohortem illam diſcipulorum recepti erant, quod quiſque familiæ pecuniæque habebat, in medium dabant; & coibatur ſocietas inſeparabilis, tanquam illud fuerit antiquum conſortium, quod erat, atque verbo appellabatur κοινόβιον.* Egerat quoque de illis Cicero in Oratione pro Vatinio; uti conſtat ex Hieronymo, qui ſub finem poſterioris adverſus Ruffinum Apologiæ: *Lege,* inquit, *pro Vatinio oratiunculam, & alias, ubi ſodalitiorum mentio fit; revolve dialogos Tullii; reſpice omnem oram Italiæ, quæ quondam magna Græcia dicebatur: & Pythagoricorum dogmatum inciſa publicis literis æra cognoſces.* Meminit ejuſdem Orationis etiam Valerius Maximus lib. IV. cap. II. Cæterum iſta Pythagoreorum collegia Polybius lib. II. συνέδρια vocat, Strabo lib. VI. συσσίτια, ſcribitque Jamblichus lib. I. de vita Pythagoræ cap. VI. κοινοβίους ob id dictos eſſe Pythagoræ ſectatores. Quod porro ad immortalitatem animæ attinet, quam Druidas docuiſſe ſcribit Marcellinus, de ea aliorum quoque autorum illuſtria extant teſtimonia. Strabo, cum de Druidis ſermonem habuiſſet lib. IV. ſubdit: *Cum hi, tum alii, animam interitus expertem ſtatuunt, & mundum.* Pomponius Mela lib. III. cap. II. *Unum,* inquit, *ex iis, quæ præcipiunt* (Druidæ) *in vulgus effluxit, videlicet,*

 ut

ut forent ad bella meliores; æternas esse animas, vitamque alteram ad manes. Itaque cum mortuis cremant ac defodiunt apta viventibus. Olim negotiorum ratio etiam & exactio crediti deferebatur ad inferos; erantque, qui se in rogos suorum, velut una victuri, libenter immitterent. Ita omnino hic locus distinguendus videtur. Quid enim attinet, τὸ *olim* ad *apta viventibus* referre? quod vulgo fieri solet. Nostrâm distinctionem firmat τὸ *deferebatur* & *erant*. In prioribus enim præsenti tempore usus est autor, tanquam de iis loquens, quæ adhuc suo ævo obtinebant: heic imperfecto utitur, tanquam de olim usitatis, sed tum abrogatis. Porro Lucanus lib. I. Pharsaliæ hoc modo de Druidis canit:

Et vos barbaricos ritus, moremque sinistrum
sacrorum; Druidæ, positis repetistis ab armis.
Solis nosse Deos & Cœli Numina vobis,
aut solis nescire datum: nemora alta remotis
incolitis lucis. Vobis auctoribus, umbræ
non tacitas Erebi sedes, Ditisque profundi
pallida regna petunt: regit idem spiritus artus
orbe alio: longæ (canitis si cognita) vitæ
mors media est. Certe populi, quos despicit Arctos,
felices errore suo, quos, ille timorum
maximus, haud urget leti metus. Inde ruendi
in ferrum mens prona viris, animæque capaces
mortis; & ignavum est, rediture parcere vitæ.

Valerius Maximus lib. II. cap. VI. Gallos *memoriæ proditum est*, ait, *pecunias mutuas, quæ his apud inferos redderentur, dare solitos: quia persuasum habuerunt, animas hominum immortales esse.* Addit: *Dicerem stultos, nisi idem bracati sensissent, quod palliatus Pythagoras credidit.* Scilicet, non tantum animas esse immortales docuerunt, sed insuper, Pythagoræ placita secuti, illas de corpore in corpus migrare existimarunt. Clare id docet Cæsar lib. VI. de bello Gallico cap. XIV. Cujus locum de Druidis, quia non tantum de dicta μετεμψυχώσει, sed etiam de aliis notatu non indignis nos erudit, integrum adscribemus. Ita vero ille habet: Druidæ *rebus divinis intersunt, sacrificia publica ac privata procurant, religiones interpretantur. Ad hos magnus adolescentium numerus*

meri disciplinæ causa concurrit; magnoque ii sunt apud eos honore. Nam fere de omnibus controversiis, publicis privatisque, constituunt; &, si quod est admissum facinus, si cædes facta, si de hæreditate, de finibus controversia est, iidem decernunt; præmia pœnasque constituunt: si quis aut privatus aut publicus eorum decreto non stetit, sacrificiis interdicunt. Hæc pœna apud eos est gravissima. Quibus ita est interdictum, ii numero impiorum ac sceleratorum habentur: iis omnes decedunt, aditum eorum sermonemque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant: neque iis petentibus jus redditur, neque honos ullus communicatur. His autem omnibus Druidibus præest unus, qui summam inter eos habet autoritatem. Hoc mortuo, si quis ex reliquis excellit dignitate, succedit: at, si sunt plures pares, suffragio Druidum adlegitur; nonnunquam etiam de principatu armis contendunt. Ii certo anni tempore in finibus Carnutum, quæ regio totius Galliæ media habetur, considunt in loco consecrato. Huc omnes undique, qui controversias habent, conveniunt, eorumque judiciis decretisque parent. Disciplina in Britannia reperta, atque inde in Galliam translata esse existimatur. Et nunc, qui diligentius eam rem cognoscere volunt, plerumque illo, discendi causa, proficiscuntur. Druides a bello abesse consueverunt, neque tributa una cum reliquis pendunt, militiæ vacationem, omniumque rerum habent immunitatem. Tantis excitati præmiis, & sua sponte multi in disciplinam conveniunt, & a propinquis parentibusque mittuntur. Magnum ibi numerum versuum ediscere dicuntur. Itaque nonnulli annos vicenos in disciplina permanent; neque fas esse existimant ea literis mandare, quum in reliquis fere rebus, publicis privatisque rationibus, (Græcis) literis utantur. Id mihi duabus de causis instituisse videntur, quod neque in vulgus disciplinam efferri velint; neque eos, qui discunt, literis confisos, minus memoriæ studere. Quod fere plerisque accidit, ut, præsidio literarum, diligentiam in perdiscendo, ac memoriam remittant. Inprimis hoc volunt persuadere, non interire animas, sed ab aliis post mortem transire ad alios; atque hoc maxime ad virtutem excitari putant, metu mortis neglecto. Multa præterea de sideribus, atque eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de Deorum immortalium vi ac potestate, disputant, & juventuti transdunt. Ex

illis Julii Cæsaris verbis primo liquet, credidisse Druidas *μετεμψύχωσιν* quandam, dum animas *ab aliis post mortem transire ad alios* docuerunt. Subscribit Diodorus Siculus, quando lib. V. Bibliothecæ Historicæ: *Inter ipsas quoque epulas,* inquit, *causa ex jurgio quomodocumque arrepta, insurgere, & ex provocatione, nihili vitæ jacturam æstimantes, inter se digladiari solent. Pythagoræ enim apud illos opinio invaluit, quod animæ hominum immortales in aliud ingressæ corpus definito tempore denuo vitam capessant. Hanc ob causam in defunctorum pyram epistolas scriptas quidam conjiciunt, tanquam eas mortui sint lecturi.* Jo. Brantius in suis ad Cæsarem Notis monet, inter Druidarum & Pythagoræ *παλιγγενεσίαν* id interesse, quod hic, hominum animas ad pecudes etiam transire; illi vero, ad homines tantum eas transmigrare, voluerint, idque deducit exinde, quod Cæsar scribit, docuisse Druidas, animas transire *ab aliis ad alios.* Sed num hæc locutio illud importet, quod vult Brantius, & num adeo specialis sit, ut ad bruta extendi nequeat, aliis cogitandum relinquimus. Nos ad alia pergimus. Notetur itaque porro, quod Cæsar ait, Druidas *rebus divinis interesse, sacrificia publica ac privata procurare.* Convenit nimirum hoc cum eo quod Strabo l. VI. asserit: *Sacris,* inquiens, *semper aderant Druidæ*; & quod Diodorus Siculus lib. V. *Absque Philosopho nemini sacrum facere fas est.* Quod de Persarum quoque Magis iisdem pene verbis tradit Herodotus lib. I. Ulterius observetur, quod scribit Cæsar, eos *fere de omnibus controversiis constituere.* Idem affirmat Strabo lib. IV. *De horum* (Druidarum) *justitia,* inquiens, *summa omnium est opinio. Itaque & publica iis & privata judicia committuntur, & aliquando causis bellorum disceptandis jam acie congressuros composuerunt. Maxime judicia de cæde iis commissa sunt.* Gemina habet Diodorus, cujus verba supra dedimus. Observetur & illud, quod de iisdem Druidibus memoret Cæsar, ipsos nefas existimasse, dogmata sua literis mandare; addatque mox hujus rei causas; quarum prior est, quod disciplinam seu dogmata sua efferri noluerint. Hic nimirum omnium pene gentium olim mos erat, sedulo cavere, ne quid suorum dogmatum in vulgus emanaret. Unde Herodotus, de Ægyptiorum Theologia,

logia, quam apud illos perspexerat, agens lib. II. *Quæ mihi*, inquit, *de Diis narrarunt, ea exponere vel scripto mandare non libet; nisi nomina eorum tantum: quod idem de illis omnes homines scire existimem.* Confer quæ leguntur apud Macrobium lib. I. cap. VII. & Plutarchum in Iside. Hinc etiam Strabo lib. XV. *Brachmanas cum uxoribus non philosophari*, scribit, *ne, si improbæ sint, aliquid, quod efferri nefas sit, in profanos efferant.* Pomponius quoque Mela lib. III. cap. II. autor est, Druidas discipulos suos docere *clam, in specu aut in abditis saltibus*, nec nisi *unum ex iis, quæ præcipiunt, in vulgus effluxisse, æternas esse animas.* Ubi præter rem Fr. Hotmanus in suis ad hæc, quæ tractamus, Cæsaris verba Notis, imperitiæ arguit Melam, quod occultationem mysteriorum, quæ scriptionis abstinentia facta, ad locum referat. Certe in saltibus vixisse Druidas, clare docet narratio Conradi Celtis, supra num. XXXII. a nobis adscripta, & illud Lucani: *nemora alta remotis incolitis lucis.* Sed quid illud est, quod mox subjungit Cæsar, Gallos *in reliquis fere rebus* (quæ scilicet ad Druidum disciplinam non pertinent) *publicis privatisque rationibus*, Græcis *literis uti?* Sane, si in privatis ac domesticis rebus, & accepti expensique rationibus, patresfamilias omnes Græcis literis fuerunt usi, frustra erit noster, quando lib. V. de bello Gallico cap. XLIIX. scribit, Cæsarem *Græcis conscriptam literis epistolam* ad Q. Ciceronem misisse, *ne, intercepta epistola*, sua *a Gallis consilia cognoscerentur.* Existimat ergo Hotmanus, vocem *Græcis* adulterinam esse, & ab eo fortasse interjectam, qui apud Strabonem lib. IV. legerat, Gallos, exemplo Massiliensium inductos, Præceptores inde suæ juventuti sumpsisse, & adeo φιλέλληνας fuisse, ut etiam pactiones & contractus Græce scriberent. *Sed*, ait jamjam laudatus autor, *Strabo præcise de Massiliensi vicinia tantum id commemorat: deinde, sua demum memoria id fieri instituisse.* Quod si vox *Græcis* ex textu tollatur, idonea & integra nostro loco sententia constabit, hoc modo: in sola Druidum disciplina literis & scriptione non fuisse usos, cæteris in rebus omnibus usos. Amplius memorat Cæsar, Druidas *multa de sideribus*

atque

atque eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de Deorum immortalium vi ac potestate, disputasse. Gemina hæc sunt eis quæ habet Pomponius Mela lib. III. cap. II. ubi de iisdem (ceu vocat) *sapientiæ magistris* ait: *Hi terræ mundique magnitudinem & formam, motus cœli ac syderum, ac quid Dii velint, scire profitentur.* Suffragatur Amm. Marcellinus, quando lib. XV. *Druidas, ingeniis celsiores, quæstionibus occultarum rerum altarumque erectos* scribit; item Cicero, qui lib. I. de Divinatione num. XC. Quintum fratrem alloquens: *In Gallia,* inquit, *Druides sunt, e quibus ipse Divitiacum Æduum* (de hoc vide Cæsarem de bello Gallico lib. I, II, VI.) *hospitem tuum laudatoremque, cognovi: qui & naturæ rationem, quam Physiologiam Græci appellant, notam esse sibi profitebatur, & partim auguriis, partim conjectura, quæ essent futura, dicebat.* Adde Lucanum, qui in versibus supra adductis ita ad Philosophos istos:

Solis nosse Deos & cœli Numina vobis
aut solis nescire datum.

Et tantum de *Barbarica*, quam vocant Græci, Philosophia. Animus erat, ad *Græcanicæ* sapientiæ historiam nunc progredi. Sed quia intervenerunt alia magis necessaria, quæ ab hoc instituto in præsenti nos dimoverunt, commodiori occasioni istam reservabimus.

Omissa & commissa sic restituantur.

P*Ag. 15. lin. 10. post verba*: Chaldæorum opinionem; *insere*: si quidem plures illi a mundi natali annos Solares numerent. *pag. 23. lin. 27. pro* figmenca, *lege* figmenta. *pag. 39. lin. 7. pro* XXV. *lege* XXVI. *pag. 40. lin. 19. pro* XXVI. *lege* XXVII. *pag. 45. lin. antepen. pro* mulram *lege* multam.

FINIS.